



Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b28780784>

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CONSUETUDINE.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CONSUETUDINE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

Eruditorum examini subijcit

JOANNES HAXBY,

ANGLO-BRITANNUS:

SOC. MED. EDIN. PRÆSES ANNUUS.

*“ Nos nobis omnes, quoad facultas tulit, proposuimus ; et, ex
“ nostro quoque, nonnihil in commune contulimus.”* Crc.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL. CUM SOCIIS.

=====
M DCC XCV.



W. Hancock Esq

with every good wish

from his sincere friend

The Author

JACOBO GREGORIO, M. D.

MEDICINÆ PRACTICÆ, IN ACADEMIA EDINENSE,

PROFESSORI,

OB VITAM SERVATAM,

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SACRAS DICAT

AUCTOR.





Adeo vehemens et magna est Consuetudinis tyrannis,
ut perinde cogat ac Natura ipsa. Ligat nimirum
Consuetudo hominem, et quasi vinculis constringit
ad id, cui consuevit, iterandum et profequendum, at-
que, propterea, verti videtur in Naturam.

Langii Tractatus de Thermis Carolinis, p. 242.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CONSUETUDINE.

PROËMIUM.

I. **E**FFINXERIT quamvis Natura ex eodem luto, eodemque excuderit typo humanum genus, sunt tamen quædam discrimina, singula singulis appropriata, quæ hunc ab illo satis luculenter designant.

II. Hæc discrimina, cæteris paribus, vitæ vivendique modo, cui, quisque se assuevit, proprio, jure videntur ascribenda.

Λ

III.

III. Almæ hujus Academiae legibus obtemperaturo, adeo grato se obtulit aspectu Consuetudo, formaque adeo fascinante animum meum irretivit, ut statim, primo intuitu, hanc propriam adoptare statuerim.

IV. Familiaritate inter nos adolescente, ingenii dotes, haud minus numero, quam natura insignes, pedetentim sese explicabant; quibus fœnerantibus, melius in futurum salutem humanam consultum fore nullus dubitavi.

V. Ideoque ejus indolem omni cura ac diligentia colebam, citoque me persuasum habui, medicinam promovendam male consuluisse eos, qui, posthabito Consuetudinis studio, rem medicam, nullo discrimine, exercebant.

VI. Ratio in procinctu suppetebat, quare medicina, principiis quantumvis legitimis, ac, in se, stabilibus obnixa, adeo frequenter irrita
atque

atque frustranea evadit ; quare medicamenta, virtutibus probe perspectis, ac recognitis, prædita, aliis, inertibus prorsus, et viribus omnino destitutis, cessura commutantur.

C A P. I.

VII. Haud nos latet, quam fit pertenuè discrimen, consuetudinem inter incipientem, et jam confirmatam, sive Habitum, observandum. In quantum vero, ita sensim fatiscat in effectum, hoc in exemplo, causa, ut illius finem, hujusve ortum, neutiquam adjudicare possimus ; et cum quævis actio, diu repetita, in Consuetudinem confirmatam vergat, binas hæc potestates, uno eodemque capite, perpendere est in animo.

VIII. Impressionum in corpus nostrum crebram, per intervalla, repetitionem, cum celeb.

CULLENO, ponimus esse *Consuetudinem* ; quæ jam inveterata, et voluntati minus auscultans, *Habitus* vocatur. Secundum illud viri celeb. KAMES, *Consuetudo* actionem, *Habitus* agentem respicit*.

IX. Quo constituatur *Habitus*, oportet, ut plurimum, leniter affici corpus, causa excitante, per idoneum tempus, intervallis, haud longe ab invicem distantibus interpositis, corpori applicata.

X. Æque enim habitui producendo impar evaderet in brevissimo tempore, si continuata se exceperit serie, ac in longissimo, serie maxime protracta. “ In nullum enim novum, “ sive agens, sive patiens, ut novum, consue- “ tudo cadit †.”

XI.

* Elements of Criticism, Vol. II. p. 82.

† STAHLII Opera, p. 724.

XI. Quod si alioquin ac leniter agat, quantumvis diu repetitum, vix formabit habitum. Corpus enim impressionibus intensis defatigatum, earum repetitionem cum nausæa quadam averfatur.

XII. Hinc acuti morbi, qui cita morte vel victoria læta finiuntur, raro in Consuetudinem abeunt revertendi, ob nimis violentam, et subitam eorum in corpus actionem. Qui vero lentius agunt, quales sunt morbi hæreditarii, vel chronici, et plurimæ inflammationes e fonte serofuloso scaturientes, sæpissime, quem semel exercuerunt, levissima invitante causa, revifunt. Hæc vero minime in univerfum obtinent.

XIII. Quo major fuerit conditionum, in quibus tale quid proclive locum habet, constantia, eo citius erit constitutus habitus, et, constitutus, eo magis exquisitus.

XIV. Illust. KAMES discrimen, habitum inter specialem, et generalem, ponit; vel, ut alii loqui volunt, inter habitum ad unum, et habitum ad plura. Ille de re una tantum versatur, hic de pluribus, quibuscum autem omnibus, eodem sibi invicem ordine succedentibus, sæpe rem agit. Exemplo sint nugæ, longa repetitione, felicitati nostræ necessariæ factæ. Mercator multum agendo diu versatus, tædium nescio quod, in otio perferit.

C A P. II.

XV. Conditionibus, habitui generando, ita se habentibus, liceat perpendamus, qui sint Consuetudinis in corpus humanum effectus; in quantum, scilicet, functionibus ejus, rite absolvendis, sint diverticulo.

XVI. Quo autem clarius elucescat, hac de re, sententia nostra, lubet Consuetudinis
imperium,

imperium, in tria precipua capita partitum, investigare.

a. Primum complectitur eos quos præstat effectus in fibram musculosam.

b. Huic proximum tales quos in nervos fentientes exercet.

c. Ultimum denique dominationem ejus in animum cogitantem accipit.

XVII. Diu, suspenso calamo, dubius hæsi, an seorsim, capite proprio, de fibra simplice, ut vocatur, differerem, an penitus silentio præmitterem : eo tandem res rediit, ut omnem de fibra, sive solido simplice, ut a musculosa distinctam, ideam a mente profus relegaverim ; quippe quæ illa omnino ad hujus normam inflectitur. Nihil ad rem valet, quod innuas de vi elastica, qua gaudet fibra simplex, cum cæteris inanimatorum, communi. Ta-

lia moventem, monitum te velim nunquam idem, per duo proxime instantia momenta, corpus manere, sed in perpetuum mutari, particulis effœtis, ac vitæ producendæ amplius non aptis, e corpore eliminatis, accedentibus aliis in vicem earum sufficiens. Ideoque necesse videtur, talem fibram, quæ sit cunque ejus natura, omnino a statu fibræ musculosæ pendere. Videamus ergo, quæ sint Consuetudinis, in fibram musculosam, vis et imperium.

XVIII. Inveniemus *irritabilitatem* ejus, *vim* qua se contrahit, *tempus* quo contrahendo perstat, *modum* denique contractionis, huic tyranno, singulatim, esse subdita.

XIX. Non est hic loci, ut disceptarem de irritabilitatis vel natura, vel fonte; nec interest multum, an una eademque, qua vis nervea, gaudeat, proprietate, an a corpusculorum quorundam, sibi invicem, definita quada-

dam

dam ferie, nexorum, et legibus, sibi propriis, parentium, catena pendeat. Nostro enim proposito, ad omnia sufficit, si, per irritabilitatem, intelligatur ista fibræ musculosæ proprietas qua, stimulo admoto, se contrahit.

XX. Quicquid ergo, sæpius ad contractionem ciet hanc fibram, magis etiam *irritabilem* reddit.

XXI. Nihil autem æque valet, huic pariundo effectui, ac ipse actus contrahendi, si ultra vel citra sit naturam, et, breve post intervallum, sæpe redintegratus, causa, ad contractionem excitante, eadem semper manente; e. g. Ut sit vomitio plena, opus est emetico vis cujusdam definitæ: quod si, autem, incideret necessitas emeticum denuo propinandi, ad tertiam vel quartam usque vicem, paucis tantum diebus intervenientibus, dosis, priori multo minor, emesi provocandæ plusquam sat erit; nonnullis quidem erit, pro emetico, ipsa vo-

mendi recordatio. Probe etiam cognitum est, totum rejici emeticum primo ipso ventriculi conatu, raro licet, unico nisu, absolvatur vomitus. Tale quid accidit, in usu olei ricini; quod, quo sæpius assumitur, eo minori valet quantitate ad alvum solvendam*. Scilla etiam, si semel vomitum excitaverit, huic, quam cuivis alii, effectui producendo magis apta evadit †. Gambogiæ grana duo, repetita, æque valebant ac quatuor ‡. Aliquid simile notavit HOFFMANNUS, de usu purgantium.

XXII. Si cuivis inoleverit Consuetudo vesicæ, quam primum senserit distentam, exonerandi, eo tandem ventum erit incontinentiæ, ut sibi temperare vix possit quin urinam reddat, nulla fere prægressa distensione, saltem, quoad molem, multo minore quam quæ primo fecerit molestiam.

XXIII.

* CULLEN. Mater. Med. Vol. II. p. 536.

† GREGORII Prælect. Clinic.

‡ FERRIAR'S Med. Histories and Reflections.

XXIII. *Gradus* irritamenti, cui ferendo par est, sine contractione, musculus, repetitione sola definitur; adeo ut, variis stimulis, proximo quovis, præcedente, magis aucto, paulatim assuefactus musculus, brevi post tempore, irritationem, quantacunque fuerit, modo illæsa ejus fabrica, immotus sustinebit. Familiare quidem, sed triste, præbet exemplum vinosus, qui nisi prius litaverit Baccho, muneribus propriis obeundis impar omnino evadit. Manus tremula, vacillans corpus, soluta mens, restituto cyatho, constantiam, robur, vigorem, coacta quamvis omnia, recuperant.

XXIV. Antea (XXI.) diximus, *augeri* a repetita contractione irritabilitatem, nunc vero *minui* eam videmus. Quomodo conciliabimus opiniones ita discordantes?

XXV. Fac stimulum, in priore (XXI.) exemplo, naturali, cui organum affluctum fuerat, minorem fuisse, ideoque impotem, qui
plenam

plenam cieat contractionem, vi potius sedante, quam stimulante, ut nonnullis placitum est, vel, ut aliis, vi recta debilitante præditum. Quo magis ergo minuas stimulum, eo erit minor *tonus* musculi, major autem ad motus suscipiendos *habilitas*. Intra certos enim limites, irritabilitas ratione inversa quoad stimulum est*. Hinc, insistenti morbo, corporis pars imbecillima, prius semper succumbit.

XXVI. In altero exemplo, (XXIII.) ob stimulum, naturali majorem, fibræ musculosæ admotum, irritabilitatem ejus detritam, vel exhaustam fuisse opinamur, et, id forsan, propter læsam, quodammodo, musculi ipsius fabricam.

XXVII. Minus arridet explicatio, qua solvitur hoc phenomenon, statuendo sensibilitatem, in ultimo allato exemplo, minutam fuisse,

* DARVINI *Zoonom.* vol. 1. p. 91. 371. et 445.; et CULLEN'S *First Lines*, vol. 1. p. 185.

se, ideoque minus irritabilem evasisse muscolum. Si enim ita esset, in utroque casu, singulis vicibus, minores ederet effectus vis stimulans; quod inficiatur experientia.

XXVIII. Huic meæ sententiæ suffragatur experientia cel. DARVINI; qui, observantia, affectus est, opium, aloënvæ, modo exiguis, primo, ingerantur dosibus, sensim ad libitum posse augeri, nulla comitante vel diarrhœa, vel stupore; quod si tanta incipias dosi, ut protinus inebries, vel moveas alvum, post unam alteramve iterationem, dosis utriusque, minuta quamvis, eundem æque præstabit effectum*.

XXIX. *Facilitas*, qua se corripit musculus, præfinitur usu. Omne, cui assuevimus, magis sumus ad exequendum prompti. Quod, primo aggredientes, opus mechanicum inepte quidem, et laboriose perfecimus, iterato tentamine,

* Zoonom. vol. I. p. 82.

tamine, non tantum sine erroris formidine, sed mente prorsus vacua solutaque, absolvimus. Artifex, dum proprio incumbit operi, otiose fatagit, ex facili commissa expediens : si vero, forte sua parum contentus, alieni appetat negotii cui minime convenit, delassatum ac labore confectum, inquietudinis et fortis mutatae cito eum poenitebit.

XXX. Oeconomiae animalis legibus videtur esse consentaneum, non tantum facilius, sed promptius fieri, simili oblata occasione, quaecunque in consuetudinem inveteravere ; adeo ut operam demus necesse est, ne, inviti, faciamus, quod aliter, parum conscii, faceremus. Oculi a se invicem, brevi tempore, dissociati, quasi veteris consuetudinis obliti, ex industria occurfui obstant. Musices peritus, adeo levi ac volante digito, lyrae percurrit chordas, ut fidem omnem plane superet : hanc tamen ipsam adeo mirandam artem, frustra quamvis ratiocinando quaesitam, organisque maxime consummatis

consummatis denegatam, solo affequimur usu.
 “ Somnambuli pedes et brachia præcipue mo-
 “ vent, palpebras nonnulli aperiunt; quoniam
 “ hæ partes, quæ semper exercentur, ad mo-
 “ tum sunt promptiores, et facilius spiritus in
 “ has influunt, quæ, per consuetudinem, ad id
 “ sunt aptæ et dispositæ*.” Traditur Histo-
 ria, principem inter Obercæ Satellites, more
 Anglico vesci affectantem, adeo a scopo ab-
 erravisse, ut, ducente consuetudine, ad os ma-
 nus appulerint, dum cibaria, furca excepta,
 devia legebant aurem †.

XXXI. Vasa fecernentia, quo magis irri-
 tantur, plus eo fecernunt; imo, sublata causa
 irritante, vi habitus sola eodem persistant fun-
 gendo munere.

XXXII.

* HOFFMANNI Opera, v. 6. p. 252.

† COOKE'S Voyages.

XXXII. *Vis* contractionis, quadantenus faltem, modum accipit a numero contractionum. Fabri ferrarii brachium, crus bajuli, ad proverbium torosa sunt. Opifices alii, bene multi, artem quam exercent, forma artuum enunciant*. Musculi auris externæ ignavi simul, et impotentes evadunt. Strabismo occurritur, obvoluto oculo sano; quo fit, ut musculi, ægrotantis oculi, crebrius ad contrahendum cogantur, eoque citius tonum recuperant amissum. Haud insolitum est videre, manus mancis, succenturiantes pedes †. Cætera omnia instrumenta infirma magis et debilia fiunt, quo sæpius exercentur; musculus autem,

* *Vis* tamen, quam miramur, ingens in brachiis fabrorum, cruribus bajuli, aliisque opificibus, non tantum vi singulorum musculorum, præter naturam auctæ, ascribi debet, quantum pluribus musculis, ad id unum opus absolvendum, usa confociatis, et connitentibus.

† HALLERI *Physiologiæ*, tom. 4. p. 570.

tem, vim roburque accipit agendo. Imo et vis nervorum usu intenditur.

XXXIII. Quo magis tenditur musculus, eo majori agit vi: *gradum* vero *tenfionis* iustum, usu, adipiscitur. Infans ambulando vacillat, idonei inter musculos libraminis, ut expediantur gressus necessarii, inscius; iterato conatu, hac tandem potitur arte, quam ita colit, ut non modo facillime expediat gressus, sed motus elegantissimos simul, et maxime decoros edat, de modo, quo eduntur, animo nil consciente. Quod si aliquis infantem jam appellet, musculorum moventium rumpitur catena, infansque humi corruit. Quædam fane animalia sunt, quæ, ipsis natalibus, edunt motus æque exquisitos, ac ullo subsequente tempore; iis autem, quæ structura magis complicata gaudent, deficientis instinctus supplet locum experientia*.

C

XXXIV.

* VALLI on Animal Electricity.

XXXIV. Hic vero, semel adscitus, tensionis gradus, repente mutari non potest. Agricola, protinus relicto aratro, penicilli pictoris usum frustra, quantumvis fuerit in arte peritus, aggreditur. Chirurgus non ilico, ac ab equo descenderit, ad mittendum sanguinem festinat, aliquantisper autem se continet, donec recuperaverint manus stabilitatem priorem amissam.

XXXV. Multa sunt quæ probant exempla, *perstare contrahendo* musculos, secundum quod assueverint. Artifex quisque inflexo, ut plurimum, corpore operi suo incumbit; quæ, primo, licet molesta fuerit positio, in consuetudinem jam producta, adeo non tædio afficit, ut, sponte, in eam utpote jucundissimam, ubicunque licitum fuerit, incidat.

XXXVI. Multum sane debetur constantiæ æqualis, qua propriis funguntur muneribus cor, et arteriæ, cæteraque, voluntati non auscultantia,

cultantia, organa, vi consuetudinis ; quæ organa, forsan, voluntatis imperio olim subdebantur *, vel, potius, ita se habebant ut, ex facili, mentis arbitrio obsequerentur, nisi, vindicato jure consuetudinis inveteratæ, ipsa per se agendo persistissent, nolente volente animo.

XXXVII. Repudiari hanc sententiam, a multis, ut hypothesein planè ineptam, ac rationi minimè consentaneam, nulli dubitamus. Ut meram hypothesein exhibemus, cui fides danda est, vel deneganda, prout, experiundo, affecuti fuerimus, utrum, prius existat, cor an cerebrum.

XXXVIII. Qui cordi cedere ætate cerebrum tuentur, majores scio ex medicis esse ; pace tantorum virorum, nimis inconsulto dixerim, si quid ego hic judicem. In quantum enim nulla, quoad scio, proferuntur in medium argumenta eo valentia, ut inducant animum

mum meum qui credat, mentem sentientem,
 et judicantem, posse evolvi ab ulla peculiari
 vaforum fabrica, quantumvis elaborata, aut
 ex particulis materia constantibus, in seriem
 quandam digestis, atque ordinatis, conflari,
 rationi maxime consona videtur conclusio,
 extitisse hanc ab origine, ipso foecundato ovo
 cöætaneam. Quibuscunque enim oculis in-
 tuemur corpus animatum, antecedit necesse
 systemati sanguifero nervosum habemus; opi-
 nari enim organum animans ab eo, quod ani-
 mavit ipsum, vicissim animari, a sensu com-
 muni prorsus abludit*. Verum “ neque ce-
 “ rebrum atque nervi reliquum ante corpus,
 “ neque una ante partem aliam formari vi-
 “ dentur, simul autem gignuntur simulque
 “ evolvuntur omnes †;” “ nihilque quid-
 “ quam novi nascitur. Si cæterarum par-
 “ tium

* Vid. *Conspect. Medicin.* vol. I. p. 70, 71. ubi
 argumenta, pro et contra, trutina pensantur.

† *Observat. in LEBERI Prælection. Anatom.*
 p. 14.

“ tium organa non prius oculis usurpari pos-
“ sunt, causa est in parvitate et pellucida na-
“ tura earum particularum *.”

XXXIX. Dato autem prius existere sensum, est ut objicias “ embryonem, quo tem-
“ pore cernitur ei pulsare cor, velle neuti-
“ quam posse.” Non ii sumus, qui affir-
mus conscium arbitrari foetum; tale quid
duntaxat fieri existimamus simile ac, in nobis
ipsis, quotidie experimur, dum vitae maxime
familiaribus obeundis muniis versamur, quæ,
vix assentiente animo, feliciter absolvimus.
Opinatur autem, nec inepte, cel. DARVINUS,
sensationem injucundam, in corde proxime
formato, a stimulo distensionis, vel chemico
quodam sanguinis, sentitam fuisse, quæ vero
consuetudine tantum non deletur, inflammatis
vasis solum renovanda†.

XL.

* HALLERI Oper. Minor. tom. 2. p. 407. et
MONRO on the Nervous System, chap. 25. sect. 1.
p. 80.

† Zoonom. vol. 1. p. 265.

XL. Multum inivit laboris, vir ingenio acerrimus, WHYTT, quo ostenderet, nullum posse adduci testantem musculum se, olim, voluntatis imperio, subditum, adeo usque, jam, emancipari, ut nullum omnino mentis arbitrio gerat morem. Unusquisque enim musculus, inquit, stimulo laceffit, se contrahit, ideoque nulla suppetit justa causa, quare consuetudinem adiremus, rationem postulantes, quamobrem motus cordis et intestinorum non valeamus moderari *.

XLI. Intestinorum vero contractio reciproca alternans, deficiente simul usitato stimulo, aliquamdiu perstat. Cor etiam diu, postquam corpore exsectum fuerit, systolen suam peragit et diastolen, desit quamvis stimulus sanguinis.

XLII. Fatetur equidem modo citatus auctor, musculos, quos motus semel susceperunt,

non

* On the Vital and Involuntary Motions, p. 162.

non ilico missos facere, ablata causa irritante, sed paulatim tantum, et cunctanter. Qua vero alia, quæso, potestate, perstat agendo musculus, adempto suo stimulo, nisi habitu? Quantum enim cunque pendeant muscoli, ut idem ipse agnoscit auctor*, a vi cerebro perpetim dimanante, motus tamen eorum a via solita deflectendi potestatem omnem solo usu amissam esse, nemo est qui negabit. Quod si ita se rem habere de oculis concedatur, quorum motus voluntatis imperio reguntur, et quos vel cohibere vel perficere penes nos, ad libitum, est, certe nil obstat quin credamus idem iis accidere musculis, quorum, ab initio, citra voluntatem peragebantur motus.

XLIII. Cor, quamvis e directo non cedat impulsui voluntatis, ad animi nutum varias subit mutationes. Histrionis sane, qui personam, quam sustinet, ad unguem callet, multimodis inflectit actionem cordis, prout arserit iracundia,

* On the Vital and Involuntary Motions, p. 65, 66.

dia, vel metu perfrixerit. Adeo enim imperiose tyrannidem exercet in corpora nostra, parum sibi constans animus, ut, nutu ejus, omnium vitæ inservientium organorum actiones lente tantum, vel festinanter, gradu quocunque peragantur.

XLIV. Instrui vero cor nervis probatur, ab imminuta ejus, ætate ingravescente, irritabilitate; ab actione ejus, ob, vulnere vel morbo, læsum cerebrum, perturbata; dimissis omnino a ratione effectibus quos in confesso est habere animi affectiones in actione ejus immutanda; quæ omnia nexum ejus cum cerebro abunde testantur. Quid? quod cordis substantiam ipsos subintrantes nervos detexit culter anatomicus.

XLV. Objicitur tamen “ hos nervos, si
 “ qui sint, nimis exiles esse ut qui cordi irre-
 “ quieto perennare motus valeant.” Talia
 autem moventes monitos velim, “ primo,”

Non

non semper respondere magnitudine nervos parti, cui inferviunt; “secundo,” plurima in corpore humano dari exempla, ubi nervi, alicubi in cursu suo, acceperint incrementum ab arteriis vicinis tunicas eorum permeantibus; “tertio,” membranas et ligamenta, quæ nervis fere prorsus caruisse docuerunt nonnulli, superveniente inflammatione, dolores maxime excruciantes ægroto attulisse experientia infelici compertum fuisse.

XLVI. Ex quibus omnibus (XLV.) jure forsan colligi potest, “primo,” Quosdam, præ aliis nervis, fluido, ut more solenni loquamur, magis subtili ac spirituoso præditos esse; “secundo,” nervos aliquo modo ab arteriis immutari, ipsam imo substantiam eorum his vasis augeri. Diviso enim ranae nervo sciatico, non solum adunari vidit extrema dissociata cel. MONRO, sed et inflammationem artus inferioris exinde concitari*. In experimentis

D

Illust.

* Monro on the Nervous System, chap. 10. sect. 5. et chap. 27. sect. 2. p. 94.

Illust. FONTANÆ, ad eundem finem institutis, adunato, quod divisum fuerat, pari octavo, integra restituebatur sensatio; “ Les nerfs
 “ s'étoient réunis dans ces cas là, et conti-
 “ nuoient d'être instrumens du mouvement et
 “ du *sentiment* *.” Idem probant experimenta
 Dni. CRUICKSHANKS. “ Tertio,” a sensu porro
 auctiore quem adipiscuntur membranæ et li-
 gamenta inflammata, quæ prius hebeti tantum
 gaudebant sensu, innui videri indicium, non
 solum ab aucto impetu arteriarum magis in-
 tendi nervos, sed et aliquid etiam ab arteriis
 adjici.

XLVII. Minime ergo valent, quæ addu-
 cuntur argumenta, de nervis cordi deficienti-
 bus. Analogia enim deprehendimus, vel
 posse augeri vim nerveam ob auctam ejus
 quantitatem, vel qualitatem. Utraque has
 causas, sed præsertim ultimam allatam, vim
 nerveam

* Sur les Poisons, v. 2. p. 186.

nerveam cordi intendendo, simul conferre probabile est. Si enim quidlibet veri habeat theoria, nuperrime in lucem edita, de usu gas oxygenii in œconomia animali, nulli in dubium erit sanguinem, cordis substantiam pertranseuntem, quo plus et rectius acceperit hujus principii animantis, eo magis ad vicem fluidi nervosi supplendam pollere. Sed e diverticulo in viam.

XLVIII. Ii motus musculorum, qui a perpetua pendent irritante causa, aliquando etiam a sensatione voluptatis, aut doloris, vel mentis arbitrio, excitari possunt; exemplo sint cor præ timore palpitans; Facies pudore suffusa*.

XLIX. Secundum statum ventriculi varie afficitur pulsus, integro manente cerebro. Experimentis autem a Dno. KIRKE institutis, dilucide
fatis

* Zoonom. v. 1. p. 39.

fatis manifestum est nihil tale evenire, dum cerebri functiones suspendio vel submersione interdiciantur. Patet porro, experimentis cel. COLEMAN, actionem cordis intendi, vel minui posse, feriantibus licet functionibus animalibus, ob consensum ejus cum ventriculo*. Hoc vero nervorum indicat nexum. Ostendit etiam anatomes peritissimus HUNTER talem, cor inter et pulmones, existere *νευροδεσμον*. Monstravit item cel. FOWLER, opio ingesto, multo citius quiescere cor, iis in ranis quæ cerebro et medulla spinali orbantur, quam ubi ex toto integræ sint †. His respondent experimenta a cel. WHYTT instituta.

L. Irritabilitas arteriarum, quam adeo pertinaciter denegaverant nonnulli ‡, hodie, extra omnem dubitationis aleam, evincitur experimentis.

LI.

* On Suspended Respiration, p. 160 and 237.

† On Animal Influence, p. 72, 73.

‡ HALLER et KIRKLAND.

LI. Perrara sane sunt exempla ubi cor recta in ditionem animi subigatur. Talia vero fertur accidisse. Insignis de hac re meminit historiæ vir, omni fide dignus, cel: CHEYNE, in tractatu suo cui titulus est “ English Ma-
 “ lady *,” quem adeat Lector curiosus. Nar-
 rat FONTANA ill. se, ad libitum, in seipso posse excitare motum febrilem. In actis phi-
 losophorum Londini, traditur historia hominis qui, ad arbitrium, cordis motum, pro tem-
 pore, sistere potuit. Cor polypi “ rotiferi,”
 “ *polype à roues*” musculum esse arbitrarium detexit, modo laudatus, auctor †. Limacem et gyrinum, ne agant corda sua, interdicere posse notavit ill. VALLI ‡. Cor enim machi-
 na est, in quam maxime et diutissime agit re-
 ciprocans cerebrum ||. Experimentis porro,

ex

* P. 307.

† FONTANA sur les Poisons, v. 1. p. 89.

‡ On Animal Electricity, p. 224.

|| Ibid. p. 256. et FONTANA sur les Poisons, v. 2.

ex industria factis, probatum fuit, felium, ranarum, et cuculorum corda mentis arbitrio subjici *. Est tamen ut confiteamur pericula, ad eundem finem a cel. VALLI inita, votis non respondisse †. In dolore exquisitissimo maxime morantem invenit pulsus cl. HOME, quod ascribit menti, a minore et magis constanti sanguinis in vasis stimulo, ob novam hanc et majorem adscitam irritationem, alienatæ ‡. Denatus modo Dominus JOANNES HUNTER, ob scientiam ejus in anatome et physiologia magnam, jure laudandus, cor sibi et arterias aliquamdiu quievissè persensit, prægresso dolore, pylorum juxta, violento; qui, ut veri videtur simillimum, in causa fuit cur animus vim suam, tantopere necessariam, systemati sanguifero subduxerit. Varietatum quarundam syncopes occasionalis explicatio- nem eadem ratione assequimur.

LII.

* FOWLER on Animal Influence, p. 74 ad 81.

† On Animal Electricity, p. 14; 15.

‡ Clinical Experiments and Histories, p. 232.

LII. Etsi manus daremus, et concederemus cor musculum esse, in præsentî, omnino invitum ; non, ideo, sequitur arbitrio mentis liberum semper extitisse. Æque enim valeret assertio, quæ statueret musculos, oculos moventes, quia, nunc, nobis integri non sunt, sui idcirco, semper, fuisse juris.

LIII. Est ut animus, præ defuetudine agendi, potestatem omnem motus fibrarum musculosarum uveæ cœercendi penitus amittat, luce quamvis lenissime stimulante*. Haud alienum erit, hic loci, obiter animadvertere, animum, salva integritate oculi, jus suum in musculos iridis temperandos, nunquam ex toto abdicare. Nec adeo arctis forsan continetur limitibus imperium nostrum in Iridem, ut opinati sunt nonnulli. Psittaco vidit, sub crepusculum, contrahi et expandi iridem, quasi ad arbitrium avis, cel. Professor MONRO, prout

* WHITT, p. 103.

prout blanda vel irritante manu eam contrectaverit*. Idem utique apud feles obtinet, ut omnibus notum est.

LIV. Ex omnibus his (XLIII. ad LIV.) patet, musculum unumquemque mentis arbitrio, quodammodo, morem gerere, licet, impellentibus simul aliis causis, non, omni ex parte, in ditionem ejus redigatur †.

LV. Irritabilitatem, qua gaudent majore cor, diaphragma, et intestina, tributam potius vult cel. CULLENUS vi consuetudinis, quæ, iteratione sæpius facta, cuivis in corpore fibræ musculosæ indere videtur irritabilitatem majorem, quam structuræ, nescio cui singulari, ac sibi solis propriæ; et, quoniam hæc organa maxime perennes agunt contractiones, persuasum se habet, majorem eorum, quæ

* Nervous System, chap. 28. sect. 1. p. 96.

† SIMSON on Muscular Motion, p. 12.

quæ apparet, irritabilitatem, rectius forsan, irritabilitatis eorum constantiam majorem, Consuetudini soli deberi *.

LVI. Forfan etiam proprietas illa qua, post laceffitam unicam solummodo fibram, totus convellitur musculus, et, nisi post plures contractiones et dilatationes se invicem alternatim excipientes, agendo non feriatur, usui inoleto haud inepte referenda est.

LVII. Quodvis organum suo, sibi proprio, affaerit stimulo, qui, licet natura acrior sit, multo minora adfert incommoda quam blandior stimulus, qui fuerit insolitus; e. g. acerri-
ma quævis maxime irritantia sustinet, immotus, ventriculus, modo paulatim fuerint ingesta; sanguinis vero copia perexigua, in stomachum suscepta, actutum denuo redditur vomitu. Salia urinæ acria diu vesica retinentur, parum molestiæ exinde sentito, cito quamvis, et ex-

E

templo,

* Mater. Med. vol. 1. p. 98, 99.

templo, ejectione injecta aqua tepida. Lac, sanguine minus irritans, in venas infusum, confestim enecare invenit LOWERUS.

LVIII. Singulare quoddam obtinet, notatu dignum, de modo quo agunt urinæ acceleratores, prout urinam *accelerant* tantum, semen vero *ejaculant*. Liceatne hoc explicare phænomenon, hypothesi instituta, musculos hos stimulo urinæ diutius quam feminis affuetos, ideo, magis irritari hac, quam illa secretionem?

C A P. III.

LIX. Breviter ita perpendis, quæ de vi Con-
suetudinis, in actione musculorum modifican-
da, differenda statuimus; haud alienum esse
ducimus, summam, effectus, quos talis, jam
confirmatus, habitus in œconomiam anima-
lem præstiturus sit, paucis attingere.

LX. a. Partium solidarum densitas imprimis augebitur. Hinc petenda ratio est, quare, labentibus annis, magis, pro rata parte, rigeſcit corpus; quare fibris magis firmis ac robustis dotantur viri, præ fœminis; viri qui laborioſam, præ iis qui otioſam, degunt vitam.

LXI. b. Veri videtur ſimillimum, fluida corporis, tam quoad quantitatem, quam qualitatem, multum a ſtatu partium ſolidarum pendere; quantitate fluidorum, ratione habitata ad partes ſolidas, ſemper evadente majore in iis qui corpus parum exercent. Sic infantes, magis quam adulti, ſucco abundant; adulti quam ſenes; ſexus fœmineus quam alter. Fluidorum etiam natura varias ſubit mutationes, fibræ muſculoſæ conditionibus reſpondentes. Hæ mutationes, partim ex quantitate fluidorum pendent, præcipue vero a ſtatu, quo ſe habent muſculi, jure deducuntur. Nam, cum fluidum omne corporis quodcumque, vel ipſum ſecernatur, vel naturam ſuam a ſecretio-

ne aliena quodammodo immutatam habeat, et, cum secretio, plus minusve, ope fibræ musculosæ perficiatur, facile concipi potest, quantæ sint vicissitudines, in functionibus corporis rite absolvendis, expectandæ, ob fibram musculosam, mille modis, a statu sano deflectendam.

LXII. c. Ratione prorsus simili, assequimur modi quo diditur sanguis, variis in vitæ temporibus, explicationem. Antea (LXI.) ostendimus, partes corporis solidas, quoad densitatem, et rationem quam habent cum fluidis, ingruente ætate, multum immutari. Cor infantis, plusquam adulti, arterias contra nitentes superando valet. Denfiores autem venæ vi arteriarum distendenti obstant; hinc sistit se causa, cur adeo expedite, hic ætatis, explicentur organa, et corpus, mole grandescens, quaquaverfum extendatur. Appetente vero corpore acmen suam, indies minus disparia evadunt vasa sanguifera;—jamque vires disten-

dentes,

dentes ac contra nitentes sunt in equilibrio.— Hic definit corpus elongari. Cum vero arteriæ, ob actionem earum magis vegetam, plus, quam venæ, densantur, vergentibus annis, majorem in his, quam illis, sanguinis copiam contineri necesse est, atque ita fieri plethoram venosam.

LXIII. d. Ulterius rem indagantibus patebit, sensum ipsum a statu partium solidarum non parum inflecti. Quo enim propriis rite fungantur muneribus nervi, quadantenus eos tendi omnino oportet. Hæc vero absolvitur tensio mediantibus arteriis latera fibræ sentientis undiquaque scandentibus. Arteriæ autem præcipue tenduntur a cæterarum partium tono.

LXIV. e. Imo, non absimile est, ipsum, per quod sentimus et cogitamus, principium a statu partium solidarum, aliquo modo, immutari. Si e. g. arteriæ, quarum ope fabrica cere-

bri tenerrima, æque ac reliqua corporis universi organa, explicatur, ob partes solidas plus justo renitentes, agendo impediuntur, vel inæqualiter alias deriventur, ingenium, ex necessitudine, minus limatum emunctumque fieri oportet. “ Ipsarum vero facultatum profectus
 “ non minima pars, earundem instrumentis,
 “ indies habilioribus factis, debetur*. In plagis, soli nimium propinquis, ob languidum et exhaustum corpus, hebescit ingenium †. Ingenia suo simillima cœlo, omnibus in ore est.

LXV.

* CHEYNE, De sanitate tuenda, p. 193.

† His et similibus causis, tam physicis, quam moralibus, lenta, sed continuata, serie in corpora nostra plastica agentibus, debetur ingens illa hominum varietas, quos non minus impie, quam inique, me iudice, a genere humano dissociare laboraverunt nonnulli.—

Vid. SMITH on the causes of the variety of complexion and figure in the human species, edit. Edinb. 1788. p. 20.; et Dissertat. Inaugur. De hom. varietat. auctore JOANNE HUNTER. Edin. 1775.

LXV. f. Ex tono corporis, aliquatenus, pendet ejusdem robur. Quo magis enim densantur partes solidæ, eo magis viget corpus. Hoc autem, per totam vitam, minime obtinet axioma. Est enim statutus terminus, cuius hominum appropriatus, ultra quem corpus, licet in perpetuum rigescat, haud amplius robur accipit, sed indies infirmantur vires ejus, sensimque labascit fabrica. Solutio hujus phænomeni, examen in naturam vis nerveæ implicat. Quoniam vero res hæc tota tam cæca obvolvitur caligine, missam faciemus omnem theoriam, re ipsa, abunde confirmata, satis contenti.

LXVI. Conditiones, supra memoratæ, ut quæ pendeant a statu partium corporis solidarum, quamvis, aliqua saltem ex parte, videantur referendæ structuræ cuidam propriæ congenitæ, potiori jure, ascribendæ sunt vi Consuetudinis, quæ toties agit in systema nostrum, nobis omnino insciis, et secundum ipsius agentis

tis naturam, partisque, in quam agit, facultatem sentiendi, organa corporis varie inflectit; ita ut aliquando, vi ejus sola, totus permutetur ordo œconomix animalis.

C A P. IV.

De vi Consuetudinis in cerebrum, et ejus nervos.

LXVII. An latam et diffusam Consuetudinis dominationem, an modum quo agit in sensorium maxime variantem, potius miremur, incerti sumus. Quoniam vero, aditus ad scientiam universam pateat primario per sensus, mutationes, quas subeunt ex hac causa nervi sentientes, prius examini subicere, quam de sensorii communis, exinde immutata, conditione, aliquid differamus, magis e re esse ducimus.

LXVIII. Aphorismum posuit celeb. CULLENUS, experientia etiam, quoad sciam, suffragante, cunctis pari ratione se habentibus, “Ufu
“ quotidiano semper obtundi sensationem *.”

LXIX. Hac nitens thesi, limites irritabilitatem inter et sensibilitatem præfinire aggreditur. Cum autem supra ostendimus, esse quemdam præscriptum terminum, ultra quem, eidem repetito stimulo non amplius respondet musculus, sed ut cieatur ad motum, in continuum augeri stimulum exigit, propositum discrimen minus, quam quod optandum esset, convenire videtur. Notatu tamen dignum est, irritabilitatem corporis, accedente senectute, quasi de novo redintegrari. Ideoque, utcunque paradoxum videatur, haud minus verum est, quod, quo longius ab infantia distamus, eo propius ad eam appropinquamus. Citius inebriantur senes, quam iidem, juvenes, ut ob-

F

servavit

* Mater, Med. vol. I. p. 100. .

fervavit acutissimus RUSH*. Aliquid simile tradidit memoriæ GIRTANNER. Non autem æque constat renovari, in provecta ætate, sensibilitatem; in universum *fere* † per totam vitam minuta apparet.

LXX. Si omni exceptione major fuisset hæc definitio, latus daretur campus, in quo eruditorum ingenia exercerentur, explicando modum quo agunt in corpus medicamenta, et morbi nonnulli, tales utique, qui semel tantum in vitæ decursu aliquem afficiunt.

LXXI.

* Medical Inquiries and Observations, vol. 2. p. 306.

† Hanc ideo temperavimus sententiam, nimis forsitan temere dictatam, quia unum alterumve a CULLENO* invenimus allatum exemplum, ubi nicotiana, diu repetita, eadem tandem attulit incommoda, gradu tantum leviora, quæ inchoatum ejus usum primo comitabantur.

* Mat. Med. vol. 2. p. 273, 274.

LXXI. Ex iis, quæ sequuntur, videretur *augeri* repetitione sensatio. Panni opifex, quotidiana experientia, tactum quendam eruditum, si ita fas sit loqui, in tenuitate filii dijudicanda adipiscitur, quem frustra, nisi post diu iteratum tentamen, assequitur in arte novus. Hujus instar, plura possunt adduci exempla eadem de cæteris probantia sensibus.

LXXII. Hujusmodi vero exempla noluit celeb. CULLENUS aliquid præterea indicare, quam quod mens, exinde, magis apta percipiendo evaserit. Concesso autem animum, quo sæpius renoventur impressiones, diutius eo et magis accurate illas retinere, in quantum vero organa, per quæ transmittuntur, languide magis magisque, singulis iterationibus, mentem afficiunt, rationi minime congruum est existimare, minuto sensu, augeri perceptionem animi.

LXXIII. Ut solvatur hic nodus, supputemus animum, hic et ubique, quando minus distincta et accurata percipitur sensatio, nisi quodam spontaneo, fluxum sanguinis majorem parti, unde oritur sensatio, propellere, quo mediante intenditur tonus nervorum, et exinde, necessario, potestas eorum ad excitandum sensum. Ipsum vero animal facultatem habere constat, qua sensationem, pro re nata, intendit et auget, organis, sensui ministrantibus, fortiter sensus quotiescunque totus convertatur in unicum objectum animus *. Quo magis incumbat animus, i. e. quo aptiorem se reddat motibus suscipiendis, eo majori vel minori gradu percipiuntur objecta †. Sapida jam gustaturo prius eriguntur linguae papillae nervosae, quam cum sapido coeant. VERULAMIUS noster celebrer. annotavit, sonos, quo magis intenditur sensus, clariores fieri, i. e. ubi sentiendi

* VALLI on Animal Electricity, p. 249.

† NAMES Elements of Criticism, vol. 3. p. 396.

tiendi facultas communis ad sensum auditus convergat maxime*. Si velimus auscultare sonis procul distantibus, vel, sub tenebras noctis, objecta cernere, necesse est ita intendamus animum, ut disponantur organa quo melius percipiant. Ufu tandem absolvitur hic nifus, vacuo omnino animo.

LXXIV. Forfan et infantes minus clare et accurate, primis incunabulis, audiunt, donec artem aures ad variantes sonos accommodandi, repetito conatu, acquisiverint magis perfectam. Quærit peritissimus ВНУТТ, annon aures, ut dicitur, defectus tali, quodammodo mancæ, facultati debeat referri? Visus etiam, prout infans motum lentis crySTALLINÆ ordinandæ modum, sæpe tentando, didicerit, feliciter absolvitur.

LXXV. a. Ufu vero *obtundi* sensationem, uniuscujusque fidem faciet experientia. Pau-
latim

* BACON'S Works, vol. I. p. 188.

latim se tendi finit nervus, usque ad solutio-
nem ejus continui, nulla accersita convul-
sione *. Quod si acu pungatur, vel alio quovis
modo irretetur, plus minusve convellitur artus.
Nonne videmus, in hydrocephalo interno
chronico, ita compressum cerebrum ut fere
evanescat, nullo violento superveniente spas-
mate, saltem sub initium morbi? Cum si di-
gito, quamvis levissimo et maxime suspenso,
repente comprimas hoc organum, totum, ut
mitissime agatur, tenderetur corpus spasmate,
mors ipsa forsan accerferetur. Oculi colores
vividos intueri possit, usque dum penitus vi-
sum fugiant. Adeo omnino vim suam, fere
causticam, usu, amisit acerrimum piper, apud
incolas Javæ, ut refrigerantem hunc fructum
habeant †.

LXXVI.

* KIRKLAND'S Commentary on Apoplectic and
Paralytic Affections, p. 31.

† CULLEN. Mat. Med. v. 2. p. 208.

LXXVI. Labentibus annis, quidam observantur feriantes morbi, qui olim, summa cum gentis humanæ strage, defævierant. Multum sane hujus, in melius versæ, fortunæ debetur praxi hodiernæ magis felici et excultæ, aliquid etiam vitæ, vivendique modo nunc dierum diverso, et non minimum, fortasse, corpori ipsi his stimulis magis jam assuefacto.

LXXVII. Plectuntur enim liberi vitiis parentum, nec ulli jam in dubium est de labe hæreditaria. Hæc autem labe hæreditaria, quid aliud est, nisi indoles quædam vasorum agentium, qua ad hunc, præ illo, modum agendum magis proclivia sunt?

LXXVIII. Sunt forsitan qui objiciunt hanc indolem, si qua fuerit, necesse immutari, et tandem omnino deleri, si non in parente, saltem in prole; nullum enim idem manere, per duo puncta temporis proxima, corpus nostrum, sed perpetuas subire mutationes,
unde

unde accidere totum de novo redintegrari corpus sæpius in decursu vitæ.

LXXIX. Id vero argumentum quidem nullum est. Quotidiana enim novimus experientia, corpus nostrum, nunquam nisi cum morte quieturum, ab alimento ingesto, et viribus vitæ subactò, continuo refici, particulis effœtis, et vitæ retinendæ jam non aptis, e corpore eliminatis, suffectis in locum earum aliis, magis ad vitam idoneis. Hæ autem novæ particulæ, principio vitali imbutæ, iisdem parent legibus, iisdemque funguntur muneribus, quibus antea parebant, et fungebantur particulæ, quarum jam supplent vicem ; ipsæ etiam aliis mox invicem cessuræ.

LXXX. Constat ergo, esse quandam principii vitalis metempsychosin, ut cum ΠΥΘΑΓΟΡΑ loquar, ex particulis effœtis in novas alias adscitas, easdem cum prioribus dotes habentes, quibus, nisi post plures ætates, ipso vitæ

vitæ principio admittione aliena aliquo modo immutato, nunquam exiit corpus*.

LXXXI. Ipsa contagio minus sæpe valet secundo quam primo impetu. Multis imo semel laboravisse morbis contagiosis, ægrum ab iis, in posterum, immunem præstabit. Variola et rubeola, quos semel adierunt, raro, si unquam ut morbi idiopathici, denuo revivunt.

LXXXII. In thesi nuperrime in lucem prodita †, peringeniosus auctor, argumento, nempe, “minui sensum usu” nitens, ostendere aggreditur commoda quæ secum ferat majora modus inferendæ variolæ artificialis, præ naturali. Ibi demonstrat, insitione variolosa, more solenni celebrata, partem tantum corpo-

G

ris

* Confulas DARVINI Zoonomiam, v. I. p. 519 et 526.

† De Contagione Humana, auctore CROWTHER, Edin. 1793. p. 33.

ris simul irritari, irritatione sensim exinde, mediantibus nervis, ad fibram musculosam serpente, quæ invicem corpori universo pedetentim tradit. Contra autem, via naturali, lata corporis superficies, e. g. Pulmones, Ventriculus, aut super extensa Cutis, stimulo hujus contagii nuda objicitur, quo fit ut cito et celerime diffundatur, tragædias eo citius acturum funestiores. Modus inferendi variolas, in usu apud Sinenses, turunda gossypii, viro madida, in nares protrusa, adeo non periculo vacat, ut, cum liberos numerent, omnino e calculo rejiciant tales qui variolas nondum passi sunt.

LXXXIII. “ Ex hoc consuetudinis effectu
 “ ratio fortasse reddi potest, quare variola,
 “ rubeola, et pertussis, semel tantum in de-
 “ cursu vitæ aliquem afficiant: œconomia
 “ animalis, his stimulis specialibus assueta, eo-
 “ rum actioni non amplius obnoxia manet*.”

LXXXIV.

* De Contagion. Hum. p. 33

LXXXIV. Cel. HUNTER*, in tractatu suo, de lue venerea, eximio, experimenti, a se ipso instituti, meminit in quo virus ex ulcere cujusdam, lue venerea laborantis, profluens, cuivis ejusdem corporis parti admotum, nulla symptomata venerea protulit.

LXXXV. Non profus abludit a vero hypothesis, quæ illam Paracelsios imperfectæ varietatem, in qua “Soni quos homo audire
“velit, nisi sono alio vehementi simul excita-
“to, non audiuntur,” vi consuetudinis tributam vult. Artifices enim familiariter inter se colloquuntur, incassum adversante malleorum et incudum strepitu, cujus vero colloqui ne quidem syllaba descendit in aurem hospitis inassueti, vel in arte novi. Hic forsan dicat aliquis, attentionem advenæ nimis distrahi, ut quæ, ex tot tamque incongruis et discordantibus sonis, unum possit seligere distinctum. Hæc res certe in censum adducenda est, omnem

nem vero minime expedit nodum. Vox enim loquentis instrumentorum clangore obruitur, et suffocatur tota. Animum fabrorum, in hoc exemplo, nullus dubito, artem, sæpe experiundo, acquisivisse semet a tundentis mallei sono abstrahendi; aliter loqui, ita assuefactum fuisse eidem sono, ut fere non audiat.

LXXXVI. Sensus oīm maxime injucundi, tandem adeo non ingrati sunt ut iis nullo modo, salva voluptate, carere possimus; cum jucundissimi, quo magis intenduntur, eo citius displicent. Quoniam enim dolor et voluptas, faltem quoad sensus nostros, alter alterius gradus fit, eidem ambo parere legi sequitur necesse. Eadem accidit, in utrifque, conditio sensorii, modo tantum diversa.

LXXXVII. Voluptates mediocres singulis fruitionibus magis oblectare dicuntur. Hoc vero ut accadat, vel rem ipsam, quæ placet,

vel res circumstantes, aliquo modo immutari oportet. Hinc nova quæque magis placent.

LXXXVIII. Antea diximus (XI.) cupidines nostras ad voluptates intensas diu durare non posse, corpore, ob nimiam earum intensiorem, brevi exhausto ; et tamen, quod notatu dignum est, alias, æque cum prioribus nauseantes voluptates, citra fastidium sustinebit, modo immutetur species. Cæteris omnibus, præterea, coloribus vacat excitanda retina, quam quo nuperrime defatigata fuerit*.

LXXXIX. Appetitus, quem peperit consuetudo, differt a naturali, tam quoad speciem ejus, quam vim ; dolorque quem, libidine indulgenda abstinens, experimur, plerumque major est in illo quam in hoc casu. Non tamen ideo sequitur voluptatem, quam sentimus obsequentes appetitui artificiali, majorem, vel etiam æqualem, fore ei quæ a naturali paren-
do

* DARVINI Zoonom. p. 526.

do oriretur ; dolor tantum, a defectu stimuli soliti, major est *. Voluptatibus nostris pravis non idcirco prosequendis perstamus quod fruendo delectamur, sed quod dolemus abstinendo.

XC. Uniuscujusque deficientis stimuli, pro tempore, vicem supplet quivis alius, etiam si minus pollere videatur. Esurientis languor læto tollitur nuncio ; pulveris nicotianæ deficientis vicem supplet ejusdem, integræ, manducatio ; si ne id quidem competat, ejusdem fumus, tubo haustus, succenturiabit †. Secundum licet frustra minitetur impetum variolæ, rubeolæ tamen invadenti cito succumbit corpus, quam proxime etiam post stadia variolæ absoluta.

XCI. Felici assequimur experimento, quomodo afficitur consuetudine sensus, subjiciendo manus gradibus caloris variantibus. Sint

e. g.

* KAMES'S *Elem. of Critic.* v. 2.

† BRUNON, *Elem. Medicin.* p. 16.

e. g. vasa duo aquæ, varii caloris, capacia, in quorum utrumque, utraque immergatur manus; quo factò, una misceantur aquæ, et, mistis, denuo immergantur manus simul; manus, antea calorem experta majorem, nunc frigus sentiet, altera contra calebit. Facies et manus frigori, omni tempore, objecta, inclementiam ejus vix sentiunt.

XCII. Inter quæ attulit infortunia humano generi cultura, (quid enim est ab omni parte beatum?) non minimum lugemus, imminuta et depravata sensuum, olfactus utique et gustus, organa; quibus ducibus, monentur animalia, et rudiores hominum plerique, ne quidlibet alieni ingerant cibi, altero alterius corrigente sensum errantem.

XCIII. b. Sensus semel in corpore excitati cito in consuetudinem abeunt, statutis periodicis, revertendi. Certa diei hora rediens somnus, hanc proclivitatē abunde probat. Non
quia

quia fessi sumus, solvimur somno ; ita enim si res esset, post omnem, præter naturam, violentum nifum dormiremus, et, necessario, incertis maxime temporibus somnolenti essemus. Quibus vero cunque suadentibus rebus, nisi quidem ubi corpus diu potestatibus sedantibus objectum fuerit, intempestiva hora dulcem ambiamus somnum, raro datum est potiri, donec, exacto circuitu, rediverit hora qua somno litare solebamus. Nec, nisi alte in animum descendat idea ad certam expurgiscendi horam, utcunque dedita opera, arctos somni amplexus prius excutere valemus, quam solitum tempus dormiverimus.

XCIV. Consimili obtemperat legi appetentia cibi. Cibum semel tantum in dieingere assuetos nulla vexat fames importuna, nisi ad usitatum tempus comedendi ; et, quod attentionem meretur, si adhuc porro a vescendo nos contineamus, desiderium omne cibi haud

raro

raro amittimus, donec solita prandendi periodus cursum suum integrum expleverit.

XCV. Fæces alvinas certis horis egerendi ita inolefcant ufus, ut alvum exonerandi, eadem diei hora, ingruat neceffitas, nullo quamvis urgente, ab acrimonia vel diftentione, ftimulo. Meminit cujufdam familiaris cel. DARVINUS, qui, adlibitum, intra dimidiam horam, nifu voluntario alvo dejicere potuit *. “ Notabile “ eft,” inquit PECHLINUS, “ confuetudinem “ defidendi, five alvum exonerandi, ventrem “ difponere poffe ut, certis de die horis, fe- “ mel, vel bis refpondeat, quatenus nempe “ fpiritus, fueti influere certa hora, nifi alia “ interveniant, eundem fervant modum.” Idem notavit vir, jure magni nominis, illuft. LOCK.

XCVI. Singulare illud p̄henomenon amputationem excipiens, lege confuetudinis folvitur; fenfationibus quas, integro artu, excita-

verant in cerebro ejus muscoli, adhuc, post ejus mutilationem, continuatis. Huic accidit simile quid in somniis, ubi multum fatagere videmur ambulando, quamvis revera quiescant muscoli. Multum reguntur consuetudine somnia, forsan et huic omnino tribucnda sunt causæ ; quodcunque enim intensius animum, per diem, occupavit, animum quoque, per noctem, inquietat, ut pulchre canit CLAUDIANUS ;

- “ Omnia quæ sensuvolvuntur vota diurno,
 “ Pectore sopito, reddit amica quies :
 “ Venator, defessa thoro cum membra reponit,
 “ Mens tamen ad sylvas et sua lustra redit ;
 “ Judicibus lites ; aurigæ somnia currus ;
 “ Vanaque nocturnis meta cavetur aquis.”

Mihimetipsi quoties gratulatus sum, qui, somno expergefactus, ad unguem recitare possem grammaticen præscriptam, quam, bis terve, cubitum iturus, festinante oculo percurreram ?

XCVII. Quin et ob consortium, quod statuit consuetudo quosdam inter sensus, eorumque in animum effectus respondentes, oriuntur somnia; sic, impedito sanguinis circuitu, somniantem perterrent monstra maxime horrenda et informia; irritatis vesiculis feminalibus, a distenta vesica urinæ, vel alia quavis causa, libido oritur, quæ, excitato mulieris phantasmate, expletur. “ Quidam omnino arcere, “ alii sua somnia quodammodo dirigere didicerunt*.”

XCVIII. Hinc petenda ratio erroris, quo sæpe versamur, dijudicantes veram doloris sedem, ubi laborant viscera interna recondita. Pulmonibus quovis irritante laceffit, sensationem glottidi relegamus; ctsi in extremis bronchiorum cellulis hæreat infesta causa †; ea propter forsan, quia, in deglutiendo, sæpius afficitur hæc pars a prætereunte cibo.

XCIX.

* GREGORII *Consp. Medicin.* v. I. p. 227.

† MOORE'S *Essay on the Mat. Med.* p. 174.

XCIX. Quantum ad motus, semel institutos, iterandos nitatur systema, colligi potest ex recidivis morbis quibusdam periodicis, ablata prorsus causa excitante primaria. Febris intermittens, ea præsertim quæ typum affectat tertianum, solitis accessionum periodis, diu postquam penitus fugata fuisse creditur, minitatur impetum, qui, ne revera accidat, omni adhibita cura præcavendum est. “ Si febris
 “ (quartana) quievit, diu meminisse ejus diei
 “ convenit, facile enim revertitur, nisi a sano
 “ quoque aliquamdiu timetur*.” Imo febres cujuscunque generis, utpote quæ plus minusve intermittentis naturæ sint participes, (febribus continuis omnibus, vel, ut apud antiquos obtinent, continentibus, ab arte omnino rejectis) iisdem gerunt morem legibus.

C. Impetus epileptici imitando disseminantur, imo ipsi, per se, definitis intervallis invadunt.

* CELSUS de Medicina, lib. 3. cap. 17. p. 147. Ed. Lipsiæ, 1766; et JACKSON, on the Fevers of Jamaica, p. 40; qui notavit, febres *recidivas* eundem emetiri cursum ac *primariæ*.

dunt. CULLENI peritissimi sententia est, epilepsiam tandem revera correpturam esse invitum eum, qui ægrum ludificatus est imitando*. Plurimi alii morbi spasmodici, absentibus licet causis excitantibus, certo ordine, paroxysmos suos servant; ut hysteria, asthma, podagra, etc. necnon et phlegmasiæ plurimæ.

CI. Fluxum muliebrem, quæ fuerit cunque ejus causa primaria, periodos suas menstruas servantem, ducente consuetudine, videmus; quæ etiam reliquis aliis hæmorrhagiis normam tradit, ut hæmorrhoidi, menorrhagiæ abortus, etc. Quærenti, cur eadem ad hæmorrhagiam propensio, ut in fluxu muliebri e. g., non per totam persistat vitam, quoniam, ut supra innuimus, (XXXI.) munia sua promptius et facilius expedit usu corpus? respondemus, quod, cum nesciamus quæ sint causæ, hunc fluxum proritantes, primariæ, ita etiam, nullam red-
dere

* First Lines, v. 3. p. 322.

dere possumus rationem, quare certo vitæ tempore quiescant agendo. In quantum autem hæc evacuatio absolute necessaria ad conceptionem videtur, et non prius apparet, quam apta sit fœmina fœtui, longo tempore, alendo et gestando; licet, nec inepte, concludamus, talis ubi defluerit evacuatio, corpus non amplius valere dispēdio ad speciem propagandam necessario. Semen virile certa tantum ætate prodit, et, quamprimum ejus jactura damno afficeretur corpus, diutius non feceritur.

CII. Majores nostri, observantissimi naturæ ministri, quasdam subire mutationes viderunt morbos febriles certis, præ aliis, diebus, quos, utpote vincentem vel victum prædicaverint ægrotum, “criticos,” vel “judicantes,” appellaverunt. Hæc eorum observata adeo firmo et stabili nitabantur fundamento, ut, duobus his diebus criticis, quis fuerit eventus morbi, raro fallaces, præsciverint.

CIII.

CIII. Hanc antiquorum experientiam colere, nimis improvidi, neglexerunt recentiores. Quid? quod non desunt qui hanc doctrinam nihili omnino habent, quippe quæ praxi eorum minime respondeat.

CIV. Multum hujus, antiquos inter et recentes, discrepantiæ, me judice, debetur climati, sub quo medicinam exercuerunt patres nostri, diverso ab hoc quo jam medicinam exercent nostrates hodierni. In plagis calidioribus multo magis valet doctrina de judicantibus diebus, nec sine insigni praxeos beneficio. Enixe sudavit peritis. De HAEN ut dies criticos HIPPOCRATIS vindicaret*. Medicorum recentium, qui de diebus criticis ambigerunt, vel penitus negaverunt tales existere, opinio parvi habenda est (inquit venerandus CULLENUS): febrium enim continuarum decursus observantiam difficilem esse et fallacem, omnibus

* Institut. Patholog. v. 4. p. 213 ad 243, et Ratio Medendi, v. 2. p. 345 ad 382.

nibus in confesso est ; minime ergo mirum est, si, de ordine quo cursus suos absolvant hæ febres, ignorent medici præoccupati *.

CV. Veterum de hac re doctrinam probis inniti consiliis contendit, et apprime accommodari febribus hujus regionis. Hanc tueretur sententiam, primo, quia œconomiam animalem motibus periodicis valde proclivem esse notavit, tam ob naturam suam propriam, quam ob institutos, ex levibus causis, habitus ; secundo, quia, in corpore ægrotante, sistunt se conspectui motus quidam, periodos suas summa cum constantia et ordine agentes. Hic terrarum quia adeo sint obscuri hi dies, causam refert, non tantum climatis vicissitudini, quantum irritabilitati et sensibilitati corporis deficientibus, quoniam, ad perturbandas crises, parum valeant ingesta medicamenta.

* First Lines, v. I. p. 177, et ZIMMERMAN ON Experience, v. I. p. 52 et 208.

camenta *. Vivendi etiã ac curandi, qui jam obtinet modus, in censum accipi debet.

CVI. Morbi exanthematici gradus suos accuratissime absolvunt. Cutis efflorescentiæ herpeticæ accedunt deceduntque ad arbitrium consuetudinis †. “ Ingentem admirationem
 “ et attentionem in praxi meretur,” inquit eruditus et experientissimus HOFFMANNUS,
 “ quod non modo febres, verum etiam dolores
 “ periodici, paroxysmantes observentur; qui
 “ certo tempore anni, diei, imo horæ, rever-
 “ tentes, suos typos accuratissime fervant; uno
 “ verbo, omnes spasmodici affectus, ad quos
 “ non tantum convulsiones, sed et febres, et
 “ dolores spectant, certa sua tempora et peri-
 “ odos amant ‡.” Hujus ad motus periodicos

I

conaminis

* First Lines, v. 1. p. 166 et 170; et CLEGHORN on the Diseases of Minorca, p. 67, 139, 149, 163, et sparsim ubique.

† GREGORII Prælect. Clinic.

‡ V. 4. p. 65.

conaminis causam, vult esse quandam nervorum irritationem, cujus ope excitatur natura ad imminens excutiendum malum, “ et notabile est,” adjicit, “ spiritus nervorum, quos motus semel susceperunt, eosdem ex facili repetere, in quo consistit vis consuetudinis et natura *.”

CVII. c. Nervus laesitatus non protinus, ablata causa irritante, quiescit.

Baculo ardente in orbem gyrato, circulus igneus videtur; quamvis in uno tantum hujus circuli puncto esse posse, eodem tempore, baculum certi fumus. Hujus phenomeni ratio, an ex consuetudine petenda est; continuata in cerebro sensatione, donec id ipsum, unde impulsus fuerat, baculum attigerit punctum? Quod si tardius circumagatur baculum, circulus videtur, in aliqua ejus parte, interruptus; tempora enim, quibus absolvitur circulus et mutantur ideæ intuentis hominis, paria sunt.

CVIII.

* V. 4. p. 84.

CVIII. Lege non alia videmus, palpebris oculo obductis, lucidum, quod antea obtuebamur, spectrum. Caudam, quam post se trahit vapor igneus, æthera transvolans, partim saltem, si non ex toto, tributam vult cl. DARVINUS fibris retinae, motus quos antea excitaverat spectrum, de novo repetentibus. Omnium etiam, quas intuemur, rerum spectra diu manerent, nisi, intervenientibus aliis, et praesertim consuetudine, iis omnino vacare didicissemus. Vertigo, a circumrotante corpore viso oriens, a nervo optico, eosdem in cerebrum effectus repetente quos proxime excitaverant objecta, pendet.

CIX. Sunt qui, subductis calculis, statuere conati sunt tempora quibus persistant sensationes, post amotas causas excitantes. Hujusmodi tamen experimenta, utpote nec utilia nec certa, nihil moror*. Alii hanc sensationem,

* Vid. Experim. Equitis D'ARCY, narrata in Mem. de l'Acad. des Sciences, anno 1765.

tionem, quam negant continuatam esse nervis, tributam volunt recordanti animo. Hæc vero infirmatur conclusio experimento sequenti. Quem modo intuebatur oculus, coloris flavi si protinus in locum sufficiatur cæruleus color, æque viridis evadit ac si, simul, subjecta essent intuenti flava et cærulea spectra. Vacua licet manu, superest aliquamdiu sensus, quod antea comprehendebat, corporis duri. Hinc ars præstigiatorum ducit originem suam.

CX. d. Sensus, quibus longo tempore assuevit corpus, subito immutari, vel subduci, sine summo ejus periculo, non possunt.

Hoc sub capite sistuntur infortunia, vel commoda, ab alieno cælo oriunda. Lapponiæ indigena æstui torrentis zonæ languidus succumbit; torpentem Afrum extinguit frigida. Paludibus Lindecolinæ assuefactus, ab incunabulis, rusticus, loco tam infalubri adeo non ægrotescit, ut sanitate fruatur integerrima ibi dum degat loci, et tunc demum, immutato
cælo

cælo, in morbum incidit; cum vix ullus, præterea, totius Britanniae incola hanc inhospitalem invifere potest regionem, quin, domum rediens, gravem reportaverit febrem intermittentem.

————— “ Custom moulds

“ To ev'ry clime the soft Promethean clay ;

“ And he who first the fogs of Effex breath'd

“ (So kind is native air) may in the fens

“ Of Effex from invet'rate ills revive *.”

CXI. Multis increbuit prava Consuetudo sanguinem, statuto tempore, quotannis, mittendi, quem si negligent, semel institutum morem, citius ocius, versura solvunt. Quo rem deducam ; omnes, cujuscunque sint generis, exinanitiones, sive continuas, sive periodicas, repente coërcitas, serius aut citius, corpus gravi luit pœna. Quæ vero de hac re differenda statuimus, verbis, ita appositis, ac, pro more suo, nitidissimis,

* ARMSTRONG on Health, lib. 1 ; et JACKSON, on the Fevers of Jamaica, p. 250.

nitidissimis præoccupavit, orator ille medicorum latinissimus, CELSUS, ut, manibus temperare non possimus, quin totam ejus transcribamus sententiam; qua offendimus quod, “ neque ex
 “ salubri loco in gravem, neque ex gravi in
 “ salubrem transitus satis tutus est. Neque
 “ vero ex multa fame nimia satietas, neque
 “ ex nimia satietate fames idonea est. Periclitaturque et qui semel et qui bis die cibum, incontinenter, contra Consuetudinem, assumit. Item neque, ex nimio labore, subitum otium, neque, ex nimio otio, subitus labor sine gravi noxa est. Ergo, cum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit assuescere *.”—“ Quæ longo tempore assueta sunt, etiam si deteriora sunt, minus iis quæ infueta sunt molestare consueverunt †.”

DURETUS doctissimus, commenta sua, de libro decimo sexto Coëcarum prænotationum, tradens, stylo quam maxime nervoso Consuetudinem

* Lib. 1. cap. 3. p. 24.

† HIPPOCRAT. Aphorism. L. sect. 2.

dinem definit. “ Est enim,” inquit, “ Con-
 “ fuetudinis naturaliter institutæ ratio con-
 “ fervatrix naturæ ; mutatio autem, egressæ
 “ naturæ de sua præscriptione, ipsius vera la-
 “ befactio.”

CXII. Qui sub apium fufurros, fluminis,
 juxta labentis, murmura, aut tormenti displo-
 dentis tonitrua, dormire solitus est, absentibus
 his, frustra, expectans somnum, lecto se compo-
 nit. “ Milites fuisse,” historia tradit, “ qui,
 “ haud longe ab explosis tormentis remoti,
 “ tranquillo usi fuerunt somno, cum e contra-
 “ rio illi, qui antea nunquam illorum explosio-
 “ ni adstiterunt, ita concutiuntur, ut credant,
 “ ex nimio fragore, omnem, disrupto tympa-
 “ no, auditus perdidisse sonum *.”

CXII.

* Comment. de rebus ann. 1758. p. 57. De victu
 febricitantium, auctore ANTON. PUIATI.

CXIII. Multum forsan inquietudinis, nescio
 cujus, quam omnes, plus minusve, aliquando
 experimur, sensuum, quibus affuevit corpus,
 indulgendorum neglectui, jure ascribi debet.
 Sensus jucundi^æ, qui a corpore muneribus suis
 rite fungente ortum ducunt, voluptatem illam
 vivendi constituere, cui ex adverso est tædium
 vitæ, existimat vir, summo ingenio, DARVI-
 NUS*.

CXIV. Quamvis tamen vices repentinas
 subire repugnet corpus, adeo tamen facili gau-
 det ingenio ut ad extrema quævis, et sibi in-
 vicem maxime opposita, perferenda se paula-
 tim accingat, nullo insequente damno. Ros-
 ficis, omnium ordinum, invaluit Consuetudo
 in balneum, ad centesimum et sexagesimum
 calefactum gradum, bis de septimana descen-
 dendi, ex quo, ilico, hiantibus jam cutis spira-
 culis, ad totum corpus nive obvolvendum fe-
 stinant †. Vis Consuetudinis in œconomiam
 animaliam

* Zoonom. vol. I. p. 518.

† ZIMMERMAN on Experience, vol. 2. p. 362.

animalem nulla magis in re apparet, quam in diæta. Macie et fame pene confectus, gradatim, salva sanitate, in pinguem et corpulentum phæacem converti potest. Ipsa porrò cibi, quo vescimur, natura adeo immutari potest; ut, qui antea fuerit veneno summe virulento, alimenti nostri quotidiani jam fiet pars maxime ad vitam necessaria. “ Bene scio,” inquit VAN GEUNS, “ Consuetudinis vi, ipsis etiam “ venenis homines affuescere *.” Audiamus vero de hac re differentem illust. GREGORIUM, in libro suo *Conspectum Medicinæ* sistente: “ Memoria semper tenere oportet, hominem “ adeo versatilem existere, ut ad omnes cæ- “ los, utcunque diversos, et ad vitæ genera, “ maxime contraria, unus omnium animalium “ se accommodet, et sane ad omnia videatur “ esse natus: gravissimis demum morborum “ causis, rebusque, quæ non immerito venena “ habentur, affuescit, ita ut non modo parum “ ex iis detrimenti capiat, sed iisdem sæpe,

K

“ five

* Oratio secunda, p. 80.

“ five fanus, five ægrotus, five convalescens,
 “ ægre, nec sine periculo, carere possit *.”

CXV. Barbaræ gentes plurimæ non tantum æquo appetunt gustu carnem putridam, huic vero fanam et recentem posthabent. Eo usque assidua ingessit manu columbæ ventriculo carnem putrescentem, indefessus experiundo, SPALLANZANI, ut, natura sua adeo abhorrentem cibum, tandem in deliciis haberet. Canis, natura, gravis et acris est caro; quod si vegetabilibus alatur, ut apud Otaheitæos in usu est, carnem agninam omnino æmulatur. Cum ad cibum maxime convenientem comparandum urgetur instinctu animal, fato potius succumbet quam, ultro, hanc legem naturæ transgrediatur; quodvis tamen naturale principium, artis illecebris abductum, violabit *.

CXVI.

* Vol. I. p. 530.

† HUNTER'S Animal Oeconomy, p. 222.

CXVI. Aëri, plus minus inquinato, paulatim affuefacti mures, commode fatis respirant aërem, qui, inaffuetis, citam acciret mortem *. Priusquam animalia, vi sub aqua detineantur, si crebro, per intervalla, submergantur, lentius extinguuntur; adeo ut canes et feles quæ, non affueta, duobus circiter minutis conficiuntur, præparata, superfunt usque ad sextam, vel quintam, nonnulla imo ad quartam horæ partem *. Mirum est porro quamdiu perstabunt sub aquis urinatores, non respirantes. Imo ipsa vegetabilia rudi et inculto diu innata solo, vel sub Jove nubilo, eo tandem patientiæ deveniunt, ut omnia hæc incommoda, illæsa, sustineant; et quæ olim formidavimus venena, jam tuto comeduntur cibi.

C A P.

* PRIESTLEY on Air, vol. I. p. 72.; et BEDDOES'S Letter to DARWIN, p. 47.

C A P. V.

CXVII. Obiter ita viso consuetudinis in organa sensuum imperio, quanta sit ejus in mentem judicantem dominatio, proximum est ut videamus; subtilibus omnibus, nostrum ut decet pertenuc ingenium, omnino posthabitis.

CXVIII. Cuivis rerum indit consuetudo propriam suam *formam, ordinem, et harmoniam*, maxime convenientia. Huic omnia, quæ olim hausimus et nunc haurimus commoda a jugi illo et perenni fonte *memoriæ*, debemus. Huic omnia, quæ ab *animo* probe *instituta* accepimus, beneficia debemus et agnoscimus.

CXIX. a. Cujusvis rei *pulchritudinem* æstimat consuetudo. Hujus vero solius arbitrio hanc dijudicari negat cl. SMITH. Multum enim

enim formæ, qua gaudent externæ res formosæ, utilitati earum, et ad vitæ consilia aptitudini, referri debere contendit. Concedit tamen, nullam esse, adeo pulchram externam formam, ut quæ placeat, consuetudine et infrequentia ejus prorsus adversantibus; aut ita deformem, quin grata sit, commendantibus ejus consuetudine, et frequentia, perpetim et constanter*. Confortis suæ faciem, rubro et rancido delibutam pigmento, ossiumque et putaminum denso agmine circumvallatam, æque sane formosissimam salutat Æthiops, ac alteram de Medicis Venerem salutaret Europæus.

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? Aut quis
 In Merœe majorem infante Mamillam?
 Cærula quis stupuit Germani Lumina? Flavam
 Cæsariem, et madido torquentem cornua cirro?
 Nempe quod hæc illis natura est omnibus una †.

CXX.

* Theory of Moral Sentiments, v. 2. p. 17.

† JUVENAL. Satyr. 13. v. 162.

CXX. b. Modum accipit a consuetudine rerum *ordo*. Huic mentis humanæ propensionioni, magna ex parte, (aliquid enim hic loci sibi vindicat utilitas) ascribenda est ingens illa theoriarum et systematum cumulata farrago, quæ, ab ipsis scientiæ natalibus hunc usque diem, mundum divexatæ sunt, et adhuc vexabuntur, donec in unam coiverint sententiam (heu! quam fit longinqua dies) gens hominum universa. Phenomena naturæ varie, variis temporibus, solvuntur, et, retro verso oculo, philosophandi, non secus ac vestigandi, modum huc usque extitisse invenies, hoc tantum discrimine, quod alius diutius forsan moretur in terris quam alter*.

CXXI. c. *Harmoniam* præscribit consuetudo. Eadem mensura pedum concelebrant nonnullæ carmina heroica, qua utuntur aliæ gentes ad ludicra quævis et maxime ridicula commemoranda. Gens quævis musa gaudet propria,

* MANDEVILLE, Dialogue 2. p. 124.

propria, alienis omnibus antehabita, etiam si
 stridenti stipula miserum disperdat carmen.
 Auribus Otaheitæis, non ita dulce sonat con-
 centus Britannicus, quam sua arundo, suo per-
 flata more.

CXXII. d. *Præterita recordandi* facultas,
 quæ discrimen tam insigne hominem inter et
 cætera animantia ponit, a repetitione sola nas-
 citur. Hujus dotis gradus, cæteris paribus,
 ex usu modum accipit. Qui multum memo-
 riæ confidit, capaciorem, quo magis exerce-
 tur, eam habebit. Quæ sæpe una excitantur
 idæ, se invicem postea comitari in universum
 nituntur. Mentis, non minus quam corporis,
 vires intenduntur usu; judicantis ejus func-
 tiones, repetitione, facilius et expeditius ab-
 solvuntur, “ nam non memoria tantum co-
 “ lendo augetur, sed et ingenium usu acuitur,
 “ judicii que lumen, sæpe judicando, fit splen-
 “ didius*.”

CXXIII.

* CHEYNE de Sanitate tuenda, p. 193.

CXXIII. Ipsius imo animantis ingenii æftus artis potius quam naturæ munus eft. Deliciæ imaginationis, apud eruditos et edoctos potius quam rudes et ignaros fæpius inveniuntur. Rufficus et philofophus æque fatiantur, non autem æque felices funt; quippe quæ difcrepet eorum ad felicitatem capacitas.

CXXIV. Idearum confociatio, in qua ars *educationis* præcipue confiftit, omnino a confuetudine pendet; adeo ut, cuicunque datur potestas alterius ideas, ab incunabulis, difponendi ac ordinandi, illum, quatenus faltem, penes eft hunc vel felicem, vel miferum, reddere*. In confequendis fcientiis, inquit toties celebratus DARVINUS, volentes adducimus in confortium tribus et agmina idearum multa, ut ad omnia volitionis, fenfationis, et irritationis confilia fint impromptu; quæ, aliquando, tam arcto conjunguntur nexu, ut feorfim

* STEWART, Notes and Illustrations of Moral Philofophy, p. 565.

sim nunquam agant in posterum, ideoque actiones et ratiocinia nostra haud parum inflectere possint. “ Certe consuetudo validissima
 “ cum a pueritia incipit ; hanc educationem
 “ appellamus : quæ nihil aliud est quam, a
 “ teneris annis, imbibita consuetudo *.”
 Heu ! quoties flevimus scientiam ipso in limine hærentem, ubi præoccupatus fuerat animus. Opinioni confirmatæ natura ipsa cedit, inquit CICERO.

CXXV. Secundum vetus illud axioma, non convenit ingenium cum negotio ; et, e contrario, qui multo versantur negotio, ad subtiliora excogitanda raro se accingunt. Classès rerum et theoremata vasta contemplari diu solitus animus, non sine nisu quodam ingrato descendit in illam humilem et vulgarem semitam, quam, æque ac altissimi, incedunt infimi subsellii homines †.

L

CXXVI.

* BACON'S Works, v. 5. p. 405.

† STEWART'S Moral Philosophy, p. 232.

CXXVI. Non eadem de justo et æquo idea apud omnes regiones obtinet ; sed plus minusve diversa est, prout ideam recti et erroris cum certa vitæ morumque ratione singulæ consueverint associare. Imo discrepat hominum sententia de virtute et vitio. In rebus magni momenti, optimorum et maxime merentium hominum dissidebunt sententiæ, prout diversæ fuerint occupationes eorum, aut cogitandi consuetudines. Omni enim tempore magis invaluit consuetudo quam ratio. Hanc, ad imitationem aptitudinem, adeo necessarium humano generi characterem esse existimavit Aristoteles, ut homini nomen indiderit το ζῶον μιμημένον.

CXXVII. Hujusmodi a documentis moralibus aberrationes quid aliud probant, quam quod homo, natura ferus et immanis, ratio-cinium aut judicii acumen prius non assequatur, quam diu, assidua cultura, fuerit limatus *?

* KAMES'S *Elem. of Criticism*, v. 3. p. 307.

CXXVIII. Æque minuitur sensibilitas animi ac corporis, longa assuetudine. Quas patitur impressiones animus, iteratæ, minus afficiunt; quas sæpius meditatur res, minus sentit. Periculis sæpe versati, fortes evadimus, i. e. minus meticulosi; aliorum infortuniis, nostra minus formidamus*. Ἐθίζομενοι γὰρ καταφρονεῖν τῶν φοβερῶν, καὶ ὑπομένειν αὐτὰ, γίνομεθα ἀνδρείοι †.

C A P. VI.

CXXIX. Spero me non commissurum ut videar ineptus, si aliquid, eorum motuum qui περίοδιζουτές observantur, causæ tribuam solis et lunæ in corpora nostra imperio.

CXXX.

* BUTLER'S Analogy, p. 115, et STAHLII Opera.

P. 344.

† ARISTOTEL. Ethicorum nicomacheorum, l. 2.

cap. 2:

CXXX. De minuta aëris densitate, per vim horum orbium, tantopere prædicatam, attrahentem, parum sollicitus sum, quippe quæ neque pro certo definiiri potest, nec, si posset, multum valeret. Rationem vero, qua maxime pollere credo hæc lumina in corpora nostra, accipe sequentem.

CXXXI. Neminem latet, esse legem naturæ, vegetabilia et animalia mutuo sibi invicem laborare commodo ordinantem. Aërem, ab animalibus respirantibus jam effectum redditum, proprio convertunt nutrimento vegetabilia, dum vicissim largiuntur aërem puriorem, quem, variis rebus intime coalitum, lucis ope dissociaverant. Prout ergo recto vel obliquo vultu intueantur hunc globum lumina cælestia, vel, adversa prorsus facie, densa caligine obumbrent, stabilior vel infirmior erit, ob mutatam aëris qualitatem, animantium, quæ respirant, valetudo.

CXXXII. Ipse vero, his orbibus constitutus, habitus in causa est, cur non sæpius et constantius ægri succumbimus ad phasces fiderum mutatas. Ubi autem intercifus fuerit hic habitus, ut in febribus, et aliis corporis succussibus violentioribus, accidit, animo, ab omni hypothefi libero, nec prorsus obcæcato, corpora nostra quasdam mutationes certis temporibus subeuntia, si non in his, saltem in regionibus recto soli magis obversis, visa fore nulli dubitamus.

CXXXIII. Quid? quod plurimi tam antiqui, quam recentiores medici, non minus ingenio quam fide, qua ab ipsis observata traderunt, celebres, scriptis suis enarraverunt, quæ de siderum in corpora nostra imperio, autoptæ, observabant. Credentem habuerunt cel. nostrum CULLENUM, credentem jam habent illust. DARVINUM.

CXXXIV.

CXXXIV. Quotidianam fane quis dubitat perîodum? Somni et vigiliarum, appetendorum et excernendorum, tempora ita constanter redeuntia observantur; pulsus porro, quas subit mutationes, certa diei hora, adeo exacte ut plurimum perficit, ut nulli jam in dubio esse possit de tali, indies in corpore nostro peragendo, circuitu. Sub inclinatum diem, apud univèrsa fere, quanta sint hominum genera, citatior evadit pulsus; ex iis vero, maxime irritabiles maxime variantem ostendunt pulsum.

CXXXV. Nec ideo omnino ascribenda est hæc arteriarum conditio, a statu naturali deflexa, intemperantiæ cuidam, aut alicui in rebus nonnaturalibus, ut aiunt, commissio errori: ipse enim, nunquam obliviscendus, noster GREGORIUS, vir summæ temperantiæ, fatis commoda usus valetudine, numerum pulsationum ad triginta, et quæ excurrerunt,
vices

vices sub vesperi evectum, propria persona sæpius expertus est *.

CXXXVI. Febres intermittentes quævis-
cunque, five quartanum, five tertianum affec-
tantes typum, ad unam omnes, quotidianas
fieri nituntur.

CXXXVII. Ipsas porro anni tempestates,
grata se invicem excipientes successione, quid
vetat quin corporibus nostris indant proclivi-
tatem ad quosdam, statuto tempore, peragen-
dos motus? Cuivis enim regioni sui constant
morbi, cuivis anno sua constitutio.

C A P.

* Prælectiones in praxin medicam.

C A P. VII.

CXXXVIII. Consuetudinis viribus, iisque, quibus impellitur ad motus periodicos suscipiendos corpus nostrum, obiter ita perspectis causis, coronidis loco, liceat deducere confectaria quædam, a re ipsa, probe perpensa, dictata.

CXXXIX. a. Utiles aliquot cautelas, de medicamentis adhibendis, suggerit caput nostrum secundum; quæ non idcirco, toties de spe nostra decidunt, quia minus valcant, (quamvis sæpissime etiam ex hac causa) quam quia perperam fuerant adhibita. Minime ergo sumus exculpandi, qui medicamenta, ab aliis laudata, nulla prorsus ratione alia vituperemus, quam quod nostris non responderint votis, intempestiva porrecta manu. Ipsi soli in culpa sumus, si aliquid naturæ, vitæ, vivendique

dique modo, quin et consuetudinibus et usibus ægroto nostro propriis, concedere negligamus.

CXL. Eadem porro liquet ratione, tantopere prædicatam panaceam in natura nullam existere. “ Quisquis medicam artem vel pri-
 “ moribus labris attigerit, nequit ignorare,
 “ universale quodvis remedium nihil aliud
 “ quam verba esse *.” Nec amplius valebit enunciatum, quantumvis edoctum, et ad mathematicas normas exquisitè compositum, nempe “ medicamentorum doses ratione con-
 “ stitutionis quadratæ esse debere †,” si periculi pensetur trutina.

CXLI. Videmus præterea fibram musculosam acerrima quævis, sensim aucta, stimulantia, immotam, sustinentem ; cum, si repente intendantur, magis irritabilis evadit musculus.

M

CXLII.

* Philosoph. Transactions, No. 302 et 314.

† FREIND. Hist. Medic. p. 397.

CXLII. Facilitate, quâ expediuntur motus musculorum affueti, nititur ars tota physiognomiæ. Cuivis animalium providus indidit creator signa quædam naturalia, quibus exprimit dolorem vel voluptatem sentita. “ Omnis enim motus animi suum quemdam “ à naturâ habet vultum, et sonum, et gestum *.” Hæc signa, in diversis animalibus, diversa sunt, nec apud idem genus, imò nec eandem speciem, prorsùs eadem sunt. In homine, facies animi index est. Musculi ejus, prout afficitur animus, variis modis se componunt. Quo magis ergo hi vel illi exerceantur musculi, hanc vel illam animi affectionem prodentes, eo promptius in hunc statum fatiscunt, inscio, vel etiam invito, animo. Sunt tamen qui, adscitis in actionem aliis musculis, vultum adeo distorquere calent, ut perquam difficile sit, imo vix potest, cavente homine, explicari ejus vera facies. Est et alia, qua fallimur, via, de statu animi

per

* CICERO de Oratore.

per hæc signa iudicantes. Ingraveſcente ætate, muſculi, quos diu indicaverunt animi motus, ad eandem formam, omni tempore, ſe componunt, ita ſentiat animus necne. Ideoque minime liberi ſumus ut qui, hac ſcientia freti, temere de hoc vel illo iudicemus homine. Neminem latet, quantum de SOCRATE erratum fuit a ZOPYRO, qui præſentem a præterito iudicabat hominem. Conſtat ergo, non tantum qualis fit homo, ſed qualis fuerit, hanc ſcientiam potius enunciare. Medicis tamen huius ſcientiæ ſtadium enixe commendo, qua miniſtrante, multo felicius, ut plurimum, expedietur prognofis noſtra de morborum eventu. Huic obſecundantem ſcientiæ gratulor celeb. GAUBIUM, qui phyſiognomiam, maxime conducentem medico ne fruſtra laboret, utroque pollice laudibus effert.

CXLIII. Eſt ubi, oculum amauroſi laborantem inſpicientes, propter iridum motus conſentaneos, de ſtatu harum fibrarum iudicantes

cantes, in errorem incidere possumus, nisi sanus claudatur oculus ; “ Parceque les nerfs
 “ moteurs, qui se portent à l’ uvée de l’ œil
 “ malade, étant sains, les esprits animaux
 “ continuent de se porter aux fibres motrices
 “ de cette membrane ; ainsi elle suit les mou-
 “ vements de celle de l’ œil sain : mais, quand
 “ l’ œil sain est fermé, la pupille de l’ œil ma-
 “ lade reste immobile, parceque la rétine de
 “ l’ œil malade étant insensible à la lumière,
 “ rien n’ excite l’ ame à déterminer les esprits
 “ animaux de se porter aux fibres motrices
 “ de l’ uvée *.”

CXLIV. Hinc etiam, paralyticâ licet retinâ, contrahi posse iridem apparet, quasi ad arbitrium hominis ; quamvis, e directo, sponte nostra non coarctetur.

Ii qui vermibus laborant, pupillam, salva retina, præter naturam habent dilatatam. Qui
 etiam

* Maitre Jan, Traité des Maladies de l’ œil, p. 278, 279.

etiam, sub pleno jove, et in aprico, morati, in obscurum descendunt conclave, tarde discernunt objecta, cito quamvis se componat iris*. Vidisse se narrat, in prælectionibus clinicis, Cl. HOME pupillam in hydrocephalo interno contractam. Ex quibus omnibus inferre licet, nexum non adeo arctum et insolubilem retinam inter et iridem existere, ut nonnullis persuasum est.

CXLV. Hinc, in gravi ophthalmia, necesse est uterque tegatur oculus, unus duntaxat solummodo laboret, ob consentaneos eorum, et invicem sequentes, motus; quo fit, ut neutiquam seorsim vel quiescant vel agant hæc organa visus.

CXLVI. Ex quibus diximus de statu oculi, in lepturgis, quo minus clare videantur objecta longius distita præpediente, constat, quam male accommodatæ sint ad emendandum

* DARWIN'S Zoonom. vol. i. p. 87,

dum visum lentes opticae, quippe quae in una tantum objecti positura commode adhiberi possunt, quae si immutetur, immutari etiam lentem necesse est.

CXLVII. Patet quoque non esse, ex toto, sui juris musculus cor, sed quodammodo, indirecte saltem, arbitrio nostro subditum esse.

CXLVIII. Forfan et aequum esset concludere, musculos tam quoad gradum, quam *genus* irritabilitatis, qua gaudent, inter se differre; in quantum organi cujusvis stimulus naturalis, artificiali duntaxat major, minores edat effectus.

CXLIX. b. In capite tertio monemur, quantum sanitati, tam mentis, quam corporis, conferat exercitatio; quae si negligatur, muniis suis rite absolvendis inhabile prorsus redditur corpus, innumerisque, a debilitate et inique congesto sanguine scaturientibus, mor-

bis

bis implicatur; quin et animus, una prægravatus, subtilia excogitando impar omnino evadit.

CL. c. Practica non pauca suggerit caput quartum.

a. In sectione prima, videmus optima quæque medicamenta, longo usu, vim suam sanantem penitus amittere, imo vim nocivam haud raro adipisci. Ipse adeo, et merito, laudatus cortex peruvianus, si quotidie, et diu, assumptus fuerit, omni suspitione, ventriculi totumque corporis tonum delendi, non vacat. Amara, licet primo levent symptomata dyspepsiæ, diu adhibita, concoctionem lædunt. Dari potest opium usque dum amplius non consopiat; ingeri vinum usque dum amplius non exhilaret. Medicamentum utrumque est cum invicem assumitur.

CLI. His spretis consiliis, accidit ut, novus in arte medicus, toties operam ludat suam, suosque

suosque deludat ægrotos. Frustra enim hydropis, quem libera nimis intulerat potatio, medelam aggreditur, nisi cyathos aliquot vini ægro concedat. Princeps magistratus, cujus historiam tradidit BOERHAAVIUS, medicorum recentium praxi victima succubuisset, nisi medicus suus familiaris, tempestive rediens, ad ingenium usitatum jam receptum, eum ex faucibus orci eripuisset *, “ Ideoque, cum
 “ par scientia fit, utilior tamen medicus est.
 “ amicus, quàm extraneus †.”

CLII. Aptæ ad musicæ auris, usu, magis exquisita redditur. Forsan et fastidium, quod a sonis discordantibus movetur, sensui cuidam ingrato in animo, ob interpellatum habitum, ortæ referri debet. Sic fieri potest, ut animus, eadem qua ideas congruentes ordinat ratione, convenientes sonos una etiam consociet, quem si perturbaverint ordinem inusita-

* Comment. SWIETEN. in Aphor. 602.

† CELSUS de Medicina, p. 19. in Præfat.

ta quædam, aditum postulantia, animo nescio quid molestiæ subit, donec alienæ hujus ideæ affinitatem adjudicaverit, quod ideo feliciter absolvit, quo sæpius periculum fecerit. Hinc forsitan ratio petenda est, cur adeo inviti, quas semel amplexi sumus, opiniones dimittimus: nam, ut novæ ingrediantur ideæ, necesse est olim consociatas dirumpi, quod ægre fert animus. Hinc, ob deficientem vel imminutam vim animi ordinantem, novarum cito obliviscuntur idearum annosi, pertinaciter quamvis retineant olim reconditas et consociatas ideas. Annotavit vir nobilis KAMES, hominem placido semper potiri animo, dum, more solenni, omnia percipit*.

CLIII. Cerebrum nervosque ejus compressa vidimus, functionibus nihilominus parum læsis. An licet concludere, exiguæ tantum parti cerebri, quæ etiam cæteris firmior est, insidere principium sentiens?

N

CLIV.

* *El. of Criticism*, vol. i. p. 391.

CLIV. Satis nunquam mirari possumus naturam humano generi salutem et commoda, ubicunque licuit, operose laborantem; quæ, ne aliquid accideret infortunii, si pleno soli nuda objiceretur acute sentiens retina infantum, tunicæ choroidis laminam internam, iridisque laminam posteriorem, nigro et crasso illiniri pigmento curavit; ingravescente ætate sensim denuo, quamvis nunquam ex toto, auferendum, prout minuta fuerit usu retinæ sensibilitas. Notabile enim est hujus pigmenti crassitiem in ratione quadam ætatis obtinere. Naturæ sollicitudinem ulterius experimur, in auditu sensu conservando. Primis enim annis, ne vehementiore sono lædatur nervus inusitatus tenerrimus, foveæ, quæ vicem meatus futuri supplet, protenditur membrana, quæ, procedente ætate, et nervo jam sonis affueto, paulatim omnino evanescit. Fovea, sive circulus osseus, in canalem producitur; undique densantur ossa, quibus reverberantibus soni excitantur, qui, alioquin, inauditi avolâssent

in auras. Eadem cura protenditur pupillæ fœtus membrana tenerrima, pupillaris dicta, post partum evanida.

CLV. Multos vidimus mitescere morbos, progrediente tempore. Quid est ergo quare desperemus, morbos, in præsentī, maxime lethales, in posterum, mansuetos fore et benignos, vel etiam prorsus evanituros? vel, ut more philosophorum potius loquamur, nonne rationi consentaneum est, expectare ita tandem immutari posse corporis nostri naturam diæta, cælo, aliisque quamplurimis causis, ut istorum, qui jam adeo funestas agunt clades, morborum femina olim, intacta et illibata sanitate, innoxia prætervolent; “ quodque, sicut alii
“ morbi jam olim extitere, qui vel jam occi-
“ derunt penitus, vel, ætate saltem pene con-
“ fecti, exolvere, ut rarissime comparent, ita,
“ qui nunc regnant, morbi aliquando demum
“ intercident, novis cedentes speciebus, de qui-
“ bus

“ bus nos, ne minimum quidem, hariolari va-
 “ lemus *?”

CLVI. HIPPOCRATI placitum est, “ in mor-
 bis minus periclitari eos, quorum naturæ, et
 “ ætati, et habitui, et tempori, magis similis
 “ fuerit morbus, quam in quibus horum nulli
 “ fuerit similis †.” Gradu enim non discre-
 pat contagium, sed iisdem gaudet dotibus, un-
 decunque derivatum, et, magis minusve viru-
 lentum evadit, prout corporis, cui admovetur,
 diversa fuerit conditio. Quod de ortu conta-
 gii adhuc notum est, gratis assumitur, nec ad-
 huc satis probatum fuit non posse gigni ab
 ipso corpore humano.

CLVII. Radicitus extirpari posse variolam
 nullus dubitat cel. HAYGARTH; quæ, si vera
 fuerit ejus conjectura, hypothesi, quæ sustinet
 contagium ab ipso corpore provenire, pluri-
 mum

* SYDENHAM: Oper. p. 241.

† Aphor. 34. sect. 2.

num suffragatur ; si falsa, futilis omnino est, quam ardens exceptit, idea. Nec est cur dubitemus, eadem oritura commoda ab inferenda rubeola, quæ ab infita variola jam orta sunt.

CLVIII. Humano generi ubique consulens, natura ordinavit, tunc demum ab obsequendis voluptatibus abstineri, cum earum indulgentia corpus in summum adduceret discrimen ; nec minus clementer statuit, aciem dolorum, tam mentis quam corporis, obtundi perpetuo temporis attritu. “ Nihil enim miserum est, “ ut notavit SENECA, quod in naturam consuetudo produxit ; et nullo melius nomine “ de nobis meruit natura, quam quod, cum “ sciret quibus ærumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem invenit, “ cito in familiaritatem gravissimam adducentem.” Nec est in natura quicquam adeo omnino desperandum infortunium, ut cui non sit aliquantulum solaminis adjunctum. Gravis et infirma

infirmi senectus, queribunda et infelix hypochondriasis, immunes, ut plurimum, a contagiosis morbis præstant, quos exercent, homines. A natura quoque provisum fuit, ne multiplici dolore frangantur corpora nostra; vehementior enim in se rapit, et obruit, dolores alios omnes minores.

CLIX. Quo plus fruamur deliciarum, parcius utamur necesse est. Videmus quoque, quam miseri et infelices ii sunt, quorum libidines, ultra potestatem indulgendi, adhuc vigent.

CLX. In sententia, exquisitissime cogitata, annotavit illust. KAMES vim consuetudinis eximiam in æquiparanda cum divitiis paupertate; voluptatibus pauperum mediocribus, repetitione, crescentibus, minutis, e contrario, singulis fruitionibus, divitum voluptatibus intentis*.

CLXI.

* El. of Criticism, v. 2. p. 107.

CLXI. Quod ad medicinam attinet ; videmus, quanto errore versamur, dum totam cuiusvis morbi medelam ulli singulo confidimus remedio. Utile ergo est consilium AVICENNÆ de hac re, “ Mutanda sunt medicamenta sed. “ non medicatio.”

CLXII. b. Multa innuit observata sectio secunda, præcedente non minus, praxi accommodata. Appetitus, et aliarum bene multarum, in œconomia animali, secretionum reditus ad arbitrium animi ordinari cernimus. Dyspeptico melius in futurum cederet, si, certa dici hora, cibum ingerere assuesceret ; nec adeo frequens incideret necessitas opem alienam implorandi, si, statuto tempore, quotidiana prece opitulantem supplicaret naturam. Ideoque minus consultum esset, nisi res ipsa valde urgeat, medicamenta, somnum conciliantia, prius propinare quam tempus dormiendi solitum rediverit. In proritandis mensibus, magis respondebunt votis medicamenta tunc temporis

temporis adhibita cum maxime infiterit molimen hæmorrhagicum. Medicamenta sedantia et stimulantia tunc temporis debent propinari quo isti, quos in animo est compefcere vel excitare, motus favire vel quiescere solebant*.

CLXIII. Earum, quæ febrium intermittentium nomine insigniuntur, pars major, non tantum vi quadam remedii adhibiti specifica sanantur, quantum ab interpellato, quem intulerant causæ excitantes, habitu. Morbida nervorum conditio mutatur, et nequicquam adoritur miasma †. Hanc igitur præstant mutationem medicamenta, vel minuendo sensibilitatem corporis, vel instituyendo habitum priori, morbido, contrarium. Hoc modo, febres ab emeticis, luem veneream ab hydrargyro fisti credo; illo, opii et corticis peruviani modum operandi explicò. Motuum associatorum,

* CULLEN'S Lectures on Mat. Med. p. 281.

† VALLI on Animal Electricity, p. 279.

fociatorum, in quibus consistit febris, catena rumpitur; et notabile est dimidiam corticis dosin, modo in intervallo libere ingestus fuerit, proximo succedenti paroxýsimo præveniēdo omnino sufficere; ob incipientem, a cortice institutum, habitum operationem hujus medicinæ expedientem. Febris intermittētis accessioni obstitit omnino, paulo ante præmissum medicamentum sedans, auctore CULLENO. Ratione consimili corripuntur, qui restant, morbi periodici.

CLXIV. c. Tertia nostra docet sectio, quas semel susceperunt impressiones nervi, protinus non deleri. Ex quo concludimus, impressiones, quas cuderint animo res externæ, quoad gradum intensiōnis, inter se, differre; talesque res externas revera existere, percipiat animus necne. Huic probando, quis ignorat, nullas unquam dari, per somnum, novas ideas, renovari tantum antiquas? Nullum enim quidpiam possumus formare novi, sed conjungere

tantum, et segregare, quas olim accepimus a sensibus ideas. Animus quoque, cum velit ad examen revocare præteritas sensationes, nunquam æque vehementer afficitur a ficta ac vera idea.

CLXV. Hinc patet, vim nerveam violento impetu non moveri, aliter, ablata compressione, pristinum vigorem cito recuperaret nervus.

CLXVI. d. Quarta, et ultima, sectio ostendit, quam inepte agat is qui, consuetudinibus incundis, totus versatur, quibus interpellandis cito ingruat dura necessitudo; ideoque, ut cum CELSO loquamur, “ sanus homo, qui et “ bene valet, et suæ spontis est, nullis obligare “ se legibus debet,” sed vitam degere promiscuam, adeo ut, cum necesse fuerit vitæ genus immutare, nihil exinde accedat incommodi. Hoc consilium iis præcipue convenit qui, ob negotia quibus occupantur, æstus et frigora cæli, famis et luxus extrema, vicissim ex improviso

provifo fubeunt. Tales oportet, paulatim, fe affuefacere hujufmodi extremis, donec, tandem, profpera et adverfa omnia fufque deque habeant. Hofpes inaffuetus, aliena vifurus ^{loca} infalubria ~~cola~~, fpecialem illam regionem, qua præcipue fæviunt morbi, paucis aliquot menfibus evitare debet, perfiftante tempeftate infaluberrima, donec probe fuerit affuefactus climati*.

CLXVII. Robufti et fani homines ægrius plerumque morbos patiuntur quam infirmi, citius vero convalefcunt. Ratio in procinctu eft: qui profpera valetudine diu ufus fuerit, morbo correptus, gravius procumbit, ob intercifum priorem habitum, cui adipifcendo ntitur continuo corpus, ideoque ad fanitatem citius tendit. Contra, qui fæpius adverfa laboraverit valetudine, ad morbos magis quam ad falutem proclivis eft, ideoque minus ab iifdem morbis perilitatur, tardius autem convalefcit.

CLXVIII.

* LIND. on the Difcafes of Hot Climates, p. 155.

CLXVIII. Contigit aliquando revera in propinquo esse, qui procul tantum timebatur morbus, ob ipsa remedia quibus venienti occurrere morbo consilium fuit. “ Cavendum
 “ ergo est ne, in secunda valetudine, adversæ
 “ præsidia consumantur *.”

CLXIX. Hæc porro docet sectio, quam fit imminens periculum ubi, membro frigefacto subito admovemus calorem, aut ubi, in morbis summæ debilitatis, stimulantia medicamenta larga nimis copia ingerimus, vel crudeli manu penitus subducimus.

CLXX. Hinc monemur, quam fit necesse ut ad minutissima quæque convertamus animum, si tuto, si celeriter, si jucunde mederi cupiamus. “ Posita est non minima artis
 “ nostræ difficultas in eo, nôsse cujusvis indi-
 “ vidui ægrotantis naturam, quas nempe ha-
 “ beat consuetudines in rebus nonnaturalibus,
 “ præsertim

“ præsertim in excretionibus, quomodo sese
“ habeat in hac vel illa dosi, quibus animi et
“ corporis pathematibus fit obnoxium, quam
“ fit sensibile corpus. Mirum enim est quan-
“ tum in eo differant temperamenta, sexus, fa-
“ miliaë, cælum, vitæ genus, consuetudo, etc.
“ imo ipsi morbi immutant corpora *.” Quis
nescit ipsa eadem remedia nunc prodesse, nunc
obesse, prout idoneo vel intempestivo tempore
fuerint adhibita. “ Sanitas non omnibus
“ prorsus eadem est, sua enim singulis homi-
“ nibus constitutio constat, non secus ac sua
“ facies et forma corporis †.” “ Non sequi-
“ tur ut quod alium non afficit, aut eundem,
“ alias ; id ne alteri quidem, aut eidem, tem-
“ pore alio, noceat ‡.” Modus utendi ex ve-
neno facit medicamentum, ex medicamento
venenum.

CLXXI.

* HOFFMANNI Opera, v. 3. p. 240.

† GREGORII Conspect. Medicin. v. 1. p. 516.

‡ CELSI Præfat. in Medicin, p. 16.

CLXXI. Quamvis vero transitus ad extrema, repente, non fatis tutus fit, pedetentim ascendendo, suprema quævis attingere possumus, non tantum non cum periculo, sed eum manifesto salutis beneficio. Hac corporis nostri lege innitentes, venena maxime virulenta in medicinam traduximus, openque eorum foetiam et adjutricem, certos intra limites, lubentissime comprobavimus. Præstantissima, cæteroquin, remedia nimis larga dosi protinus ingesta, sæpissime nocent; ubi vero, per decursum morbi, dosis eorum non augetur, ut inutilia, prorsus spernuntur*.

CLXXII. Non minimam agit partem in curandis morbis opportune eibus datus. In morbis chronicis, hac, nullum cognovimus remedium præstantius; quæ ipsa primæva corporis stamina immutare valet, et lente, sed assidue, agendo constitutionem ad formam quamcunque placet, effingere. “ Convenienti
“ victus

* Rush's Med. Inquiries and Observat. v. 2. p. 191.

“ victus vivendique genere, uti decet, præ-
 “ scripto, gravissimi haud raro, et quam maxi-
 “ me diuturni morbi, perſanantur; in quo
 “ optime erudita antiquitas majora præſtitit,
 “ in morborum curatione, quam onuſta, nunc
 “ temporis, ingenti remediorum farragine me-
 “ dicina*.”

CLXXIII. Quibusdam medendis morbis
 neceſſe eſt immutari cælum. Febres inter-
 mittentes, miaſmate paludum ortæ, regionis
 vicinæ ſiccis et puro perflante aëre cito fugan-
 tur, licet, quamdiu in paludibus moratus ſit
 æger, eadem ipſa remedia incaſſum adhibita
 fuiſſent †. Harum ſeptentrionalium regionum
 tempeſtatum viciffitudines, ſubito sæpe invi-
 cem ſe excipientes, incolas plurimis reddunt
 obnoxios morbis, a quibus sæpe non liberantur
 niſi peregrinando in benigniores cælos, ubi
 æqua regnat temperies integros annos.

CLXXIV.

* HOFFMANNI Opera, tom. 6. p. 232.

† FORDYCE, in the “ Transactions of a Society for
 “ improving Medical and Chirurgical Knowledge.”

CLXXIV. At vero non ita tantum tribuenda sunt hæc commoda cæli clementiæ, quam ipfius, qualecunque fuerit, permutationi; eorundem aliqui enim, non raro, accidunt morbi in regionibus maxime ferenis. Hic vero nihil in salutem cedit indigenæ cælum fuum mite et benignum, quippe cui jam afuefactus fuerit. Hunc, fi laboret morbo, in cælum adhuc benignius juvat migrare, ut convalefcant * : “ peffimum enim ægro eft cælum, quod ægrum fecit †.”

CLXXV. Vitæ fumma dies, intemperantia juventutis toties præmature follicitata, cælo mutato, in longinquiorem diem, nec fine voluptate, differri potest.

CLXXVI.

* GILCHRIST on the Ufe of Sea Voyages, et GREGOR. de Morbis Cæli mutatione medendis, *paſſim*.

† CELSUS. de Medicin. lib. ii. cap. i. p. 43.

CLXXVI. Aditus autem ad hæc solatia non æque patet facilis omnibus. Talibus auctor effem, ut sedulo caveant ab erroribus victus et vestimenti, ut modica utantur exercitatione, et, cane pejus et angue, omnem subito variantem tempestatem evitent. Hæc si fecerint, est ut artificiali quodammodo potiantur cælo, in quo multis fruantur commodis, a sumptibus et infortuniis peregrinandi prorsus immunes. Quin et, si robustiores, et pancreaticæ valentes, inter nostrates, huic consilio patientem præberent aurem, ad extremam usque senectutem producerent feram juventutem, a phthisi, a catarrho, a pneumonia, a rheumatismo, a morborum phlogisticorum denique vix numeranda caterva, securam et illibatam.

CLXXVII. Consuetudinis imperium in mores et educationem nostram callentes, quàm iniqui sumus qui pluris justo nostras habeamus opiniones, aut alteri irascamur quia aliter ac nos sentiât. Quis enim hominum, ut nunc

dierum mos obtinet cogitandi, ita arrogans unquam fuit, ut qui existimet se posse ad eandem longitudinem, latitudinem, et altitudinem cum sua, totius generis humani sententiam redigere * ?

CLXXVIII. Videmus porro, quam fit omnium hominum fallax plerumque ratio, ultra experientiæ pomœria evecta ; et quantum, valeat exemplum ad seducendas nostras, tam morales, quam religiosas opiniones. Facit consuetudinem peccandi multitudo peccantium, inquit *SENECA*. Quoniam autem vulgi consuetudo, bonam minime arguit ; pari ratione, neutiquam errantes nos exculpabit. Rectitudo enim et error, virtus et vitium, penitus immutabilia sunt ; quæ inter discrimen illi rationis æternæ basi innititur, quam nullæ hominum sententiæ, nulla consuetudo afficere, vel immutare valent †.

CLXXIX.

* SWIFT.

† BLAIR'S Sermons, vol. iv. et KAMES'S El. of Criticism, vol. ii. p. 110. et vol. iii. p. 367.

CLXXIX. Agentem habitum augeri, patientem vero minui consuetudine, vidimus. Hinc docemur quantum felicitatis nostræ, vel miseriæ, de modo quo, juvenilibus annis, nos præstamus, et quibus, tunc temporis, nos geramus moribus, pendeat.

CLXXX. Sub finem hujus opusculi, monemur ne minutissimum quodvis prætereamus quod promovendæ praxi quantulumcunque conferre possit, sed ut potius, omni ope viribusque, imitemur laborem et patientiam antiquorum indefessam in observandis naturæ operibus, omnibusque, maxime levibus, causis occurrentis, quæ naturæ conaminibus, salutem humanam enixe molientibus, prodesse aut obesse possunt, suademur; antiquorum inquam, quos semper nimis religiose coluimus, vel omnino sprevimus. “ Multum egerunt
“ qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt,
“ multum adhuc restat operæ, multumque
“ restabit;

“ restabit ; neque ulli, nato post mille sæcula,
 “ præcidetur occasio aliquid adhuc adjicien-
 “ di *.”



PERDUCTO jam ad umbilicum tentamine nostro, qualecunque fuerit, neutiquam in gratiam mecum redire possem, si hanc occasionem grates persolvendi (væ misero mihi ! quippe cui modus alius remunerandi contigit, præterea, nullus) præceptori meo, semper colendo, Cl. RUTHERFORD prætermitterem ; qui, meæ recuperandæ salutis nimium sollicitus, suorum, quibus tunc temporis cruciabatur, dolorum oblitus, ægre decumbentem me, cura plusquam paterna, invisebat, lectoque assidens, animum meum, demissum fere ac despondentem, grato colloquio fovebat, erigebat. Taceo cætera, quæ olim accepi beneficia, quorum, dum sanitas conflabit, pulchre meminero.

Grata

Grata etiam commemorandus est memoria celeb. MONRO; qui consiliis, meæ valetudinis ergo habitis, promptus semper interfuit, ac ducibus experientia sua, et judicio perraro fallaci, medelam promovit, maturavit, absolvit.

Ultimum quamvis eorum, quos in amicorum numerum adscriptos volo, recensitum invenias præceptorem meum ANDREAM MARSHALL, haud, idcirco, minoris apud me haberi eum, aut me minus illi devinctum credas. Illi omnia, quæ scio, fundamenta medicinæ debeo. Illi me vinculis officii, amicitiae, gratiae, obligatum fateor; et, si quæ sint alia vincula, hisce etiam me, jure, devinciri lubenter agnosco.

Sunt et complures alii docti et amici quos,

“ Prudens, prætereo; quibus hæc, sint qualiacunque,

“ Arridere velim; doliturus, si placeant spe

“ Deterius nostra.”—————

